
OPVSCVLA

SIMONIS FAGELLI VILLATICI
Bohemi Ecclesiæ Collegiatæ omni-
um Sanctorum in Arce
Pragensi Præ-
positi.

De Coena domini Conciones III.
Hymnorum Liber VNVS.
Epigrammatum Libri III.
Tumulorum Liber VNVS.
Distichorum Liber VNVS.

LIPSIAE,
In officina NICOLAI VVOLRAB
M. D. XXXVIII.



Vmbras quæ dederam calente Phœbo
Quondam, carmina Tityro canenti,
Phagello hæc eadem meo Simoni
Prænomen, ſimul æſtuum & leuamen
Gratum præbeo, quin meum perinde ac
Adumbro, foueoq́; contegoq́;.

S. F. V. PIO

LECTORI S. D.

ANNO SVPERIORE PROXIMO, Lector Humaniss. opera Clarissimi uiri Domini Ioannis Cochlæi, sacræ Theologiæ Doctoris eximij, isthæc ineptiolæ meæ excussæ sunt, æditæq; : at parum fœliciter, Etenim per eius a Lipsia absentiã & Typographi negligentiam, multa perperam excussa sunt, quædam etiam opera nescio cuius mutata, & expuncta quædam. Quas ego sic affectas uidere certe nõ potui citra animi molestiam, urgente scilicet qua naturaliter passim omnes proprie nostris afficimur affectione, affectione inquam, qua nec bruta etiam animantia uacant, Etẽ et illa nihilominus suos fœtus, multo studio, cura, sedulitate et amore fouent et curant tutanturq; diligentiss. ita ut plerumq; pro eorum salute etiam uitæ pericula subire minime formident. Quibus ea ipsa naturali erga fœtum proprium affectione, hominem inferiorem esse, inhumanum sane uideretur ac prope crudele. Hinc est ut ijsdem ineptiolis meis qualibuscunq;, his rationibus & subinde amicorum importunis etiam flagitationibus permotus, sic iam in theatrum ꝑductis, succurrere necesse habuerim, hac altera ęditione, eaque in alia chalcographia dili-

gentius elaborata, cui ipse uolui, ne prioribus forte simile quippiam cõtingeret, coram adesse. Quod factum Lector humanissime, si forte cuipiam uisum fuerit superuacaneũ, eam hoc circa, si quæ fuerit, culpã ad omnia necessaria, deprecari debebit Pietas. Vale.

CONCIO PRIMA DE COENA DOMINI.

COENAM NOVISSIMAM SERVATORIS nostri domini Iesu, hodierna die per orbem Christianũ sancta recolit mater Ecclesia, quam ipse Christus Iesus dominus Messias noster optatiss. lapsus humani instaurator ac uindex, modis omnibus optimus maximus, desyderio desyderauit manducare cum discipulis suis, antequam pateretur. *Desyderium hoc tantum.* P. R. confratresque charissi. uiri ornatissimi cęteri & domini, hoc inquam desyderium tantũ dñi Iesu coenę huius nouiss. suis cum discipulis manducandę, satis superq; satis arguit, eandem ille quanti & fecerit & faciẽdam uoluerit. Atqui hęc ipsissima ratio est, cur maioribus nostris hominib. olim proh dolor melioris notę quam nũc uulgo sumus Christianis, illa celebris semper fuerit & sancta habita. Perpenderunt illi haud dubie, facta Christi domini, nonnullam præcepti uim præ se ferre

se ferre. Itaq; ut discipulos Domini Iesu pietatis studio feruidos decet, multa multumq; religiosa sedulitate, quam semper uenerari fuere soliti. Quod uel uno hoc persuasum haberi potest, Etenim uiri illi uere Christiana mente prædìti, cum hodierna die hanc cœnam sacratissimam, quia uoluissent ueneratione non potuissent celebrare, per luctuosissimã Dominicę passionis cõcurrentem annuamq; memoriã, quã summo luctu fletuq; multo, & lachrymis non agere, fuerit bruta tellure & saxis duriores uideri, crediq;. Legimus enim credimusq; hunc diem passionis Domini Iesu, solem sua obscuratione, terram suo tremore, petras scissione, multa præterea alia perinde atq; sancti enarrant Euangelistæ, multum uehementerq; luxisse. Quod quidem spiritus Domini exegisse uidetur per Hierem. Prophetam ca. vi. ubi luctum, inquit, unigeniti fac tibi plãctum magnum. Quo recta itidem spectare uidentur illa Leuitici: Anima quę afflicta non fuerit, die hac peribit de populo meo, Leuitici xxiij. Hac die Athenis Dionysius Areopagita, uidens pręter naturę communem cursum solem obscuratum, hæc dixisse legitur: Aut Deus naturæ uim patitur, aut totius mundi machina dissoluet. His itaque persuasi rationibus uiri illi uere Christiani, huius cœnę sacratiss. celebritatem in tempus aliud commodius liberumq; magis, transferendam esse censuerunt, in feriam quintam scilicet proximam post sa-

 cratissi-

cratissimæ Trinitatis solennitatem. Quorum uenerandam pietatem, ut maiores nostri, ita & nos sequentes, eandem cœnæ huius sacratissimæ festiuitatem feriamur ipso die statuto alacriter, colimusq; honorifice ac libenter. Quod autem Christus Iesus dominus tanto desyderij affectu, cœnam hãc suam nouissimam cum discipulis suis mãducare fuerit dignatus, sacer Theologorum Senatus reddit rationes, ut scilicet in ea legis ueteris umbram eliminaret, typos expleret, uetusq; Phaze illud terminaret, et ut semel dicam, ueteribus abolitis ut noua faceret om̃ia, cuius rei gratia humanitatẽ induere dignatus est, eoque dissimulata naturæ diuinę maiestate se demittere, ut serui formã susciperet, atq; hoc astu in asserenda hominum salute, ut doli artificem Dęmona serpentem antiquum, falleret. Legis abolendæ ueteris, legaliumq;, sed nouæ institutionis, inter cętera sacratissimæ suæ concionis, super hanc cœnam suam nouissimam, iam identidem memoratam habitę, sic meminisse dignatus est: Mandatum nouum do uobis. Item: hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine. Quod olim etiam per Hieremiã Prophetam xxxi. cap. eius prophetię sic prædictum uoluit: Confirmabo, inquiẽs, super domum Iuda & domum Israël testamentum nouum. Item ergo propterea, ut in ea, erga eosdem discipulos suos omnesq; futuros Christianos, ineffabilem amorem suum declararet

Ioan. 13.

contesta-

cõtestareturq́;, daturus ijsdem in ea, sui maximi amoris indicium, daturus id, quo nihil maius preciosiusque dari, sed ne cogitari quidem potest, seipsum scilicet, sub speciebus panis et uini, mirabiliter, ut mirabilium operatorẽ deum decet, etenĩ ipse est qui facit mirabilia, Daturus symbolũ unitatis sibi patriq́; suo cœlesti gratissimę, & hominib. oppido q̃ necessariæ, Vnitatis, sine qua non cõstat charitas ipsa legis plenitudo, Charitas pręcipua salutis humanę anchora, iuxta illud apostoli, Si omĩa fecero, charitatẽ aũt non habuero, nihil sum, Daturus memorabile sanctiss. cuius identidẽ meminit Apostolus, quotiescũq; inquiens mãducabitis panem hunc et calicẽ bibetis, mortẽ dñi annunciabitis: at quid est quæso aliud, mortem Domini annunciare, quam eius beneficia commemorare, quã predicare charitatem, laudare dilectionem erga suos? Quam dilectionem Euangelista commendans ait: Sciens Iesus, quia uenit hora, ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem usq; dilexit eos. Quid autem est dixisse, usq; in finẽ dilexit eos? Nõ aliud certe quam quod multum & uehementer dilexerit eos, quia ad mortem usq;. Ipsa etenim est rerum ultima finis, siquidem eos sic dilexit, ut pro illis mortem obierit, & hoc est quod dixit, maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Atq; ergo propterea iturus ad passionem, &

1. Cor. 2.

Ioan. 13.

Ioan. 15.

post re-

post resurrectionis ascensionisq; gloriam e mundo discessurus, nõn referendę eiusdem dilectionis suę argumentum, sacratissimum corporis & sanguinis sui sacramentum, ijsdem tradendum duxit, ut eorum, sed & futurorum omnium Christianorum mentib. eam arctius infigeret, quo memores magis essent, ab eo ut semper habiti fuissent, dilectiq;, Cuius gratiæ beneficentiæq; non meminisse, copiosissimasq; non agere gratias, quid esse possit insanius, aut deploratius ingratumq; magis? Quam uero graue malũ periculosumq; sit ingratitudinis uitium, ut scite id ita uere expressit Baptista Mantuanus hoc quod sequitur carmine: Nil magis diuertit cœlum a telluris amore, quam scelus ingratæ mentis. Itaq; tanto tamq; periculoso malo ne obnoxij inueniamur simusque, magnopere niti decet, quin totis in hoc incumbere uiribus, ut tot tantorumq; beneficiorũ in nos nihil dum promeritos cumulatorum, quib. nulla unq̃ par gratia referri potest, quam possumus maximam gratitudinis significatiõem exhibeamus, quamq; maximas possumus semper agamus gratias, quo propensiores fuerimus, idq; haud dubie facturi animis alacriorib. si diligentius exegerimus nobiscum, quis qualisq; sit ille qui tanta facit, tanta præstat, tanta potest, & qui suos sic diligit, Præterea altius ea perpendentes, si ad incunabula creationis nostræ descenderimus, ut scilicet nos creare fuerit dignatus, tales quidem quo ad speciem

Ingratitudinis uitiũ.

ſpeciem corporis, dignitatemq́ꝫ, ut omnium animantium figura eſſemus nobiliores. Interiorem autẽ hominem Plaſtes ille optimus maximus ad ſuam ipſius imaginẽ fieri uoluit & finxit, ita ut Philoſophorum Deus Plato nos in horizõte ęternitatis creatos, hoc eſt, ęternitatis ſimul & diuinitatis quippiam in creando immiſſum nobis eſſe crediderit aſſerueritque. Siquidem hoc eſt dicere ad imaginẽ dei creari, hoc eſt hominis intellectum diuinæ auræ particulam exiſtimare, Perinde atq́ꝫ olim Horatius Flaccus Poëta Satyrarum ſuarum libro ſecundo Satyra ſecunda cecinit. Quo Aratum Poëtam græcum reſpexiſſe putandum eſt, ubi nos genus deorũ eſſe dicit, Cuius Actu. cap. xvij. Apoſtolus meminit & teſte utitur. Itidem & Cicero libro de uniuerſitate nos immortaliũ Deorum gentiles diuiniq́ꝫ generis aſſerit. Quibus olim aliqui philoſophorum animati, hominem arborem cœleſtem dicere non erubuerũt, radices cœlũ uerſus, ramos terræ inflexos habentem: innuentes capillos ſignificare radices, manus & pedes ramos, Atque propterea exiſtimauere hominem uultum oculoſq́ꝫ ad ſuperna attollere, ut Deorum cognitionẽ cœlum intuendo contemplandoq́ꝫ capere poſſit, eoq́ꝫ olim ſe rediturum non ignoraret, iuxta illud Lucretij: Cedit enim retro de terra quod fuit ante In terram, ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris, Id rurſum cœli fulgentia templa receptãt, Aut iuxta illud Manilij libro

quarto: An dubium est habitare deum sub pectore nostro In cœlumq; redire cœloq; uenire? Recte itaque ille creator noster & omnium deus, nos cœlestium spectatores esse uoluit, Cuius meminit Silius Italicus, Nonne, inquiens, uides ut celsos ad sydera uultus Sustulerit deus, ac sublimia finxerit ora? Cuius et Ouidius Naso poëta ingeniosissimus primo Methamorphoseon libro, sic item meminit:

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere
Iussit, & erectos ad sydera tollere uultus.

Gene. 2. Dein hominem beneficio suę creationis ita nobilitatũ, creator ille maximus optimus, in orto delitiarum paradiso constituit, usum eius illi conferens, pręscripta illi suæ uoluntatis sententia. Vnde quibus deinde tenebrarum Principis technis fuerit eiectus, protrususq; in hoc mundi pelagus, nulla est toto notior historia coelo: *Vtcumq;*, tametsi maximum hoc primorum parentum nostrorum fuerit in Deum creatorem suum peccatum, audite quęso dei misericordiam in æternum cantandam, suo tempore misericors dominus, cuius misericordię non est finis, generis humani, ita ꝑlapsi misereri dignatus est & de redimendo agere, atq; interim per prophetas suos eosdem instituere, lege etiam digito suo scripta illis & data,
Exod. 31. pręterea spem redemptionis certam polliceri, Hier. xxxi. In misericordia reducã eos. Ibidẽ xlij. Dabo uobis mi

bis mi

bis misericordiam & miserebor uestri. Esaiæ. vi. Da-
bo in Syon salutem: Id tamen non per creaturam
aliam aliquam, quamlibet nobilem, sed per se ipsum
fieri uoluit, Qui solus creauit, solus redimerę uoluit,
ut soli illi omniũ optimo maximo, homo omnia fer-
ret accepta, Non minus em̃ gloriosus dicitur in or-
be redempto, q̃ condito. Huius itaq; rei gratia san-
ctissimę Trinitatis decreto, coęternus patri suo cœle
sti, ęqualis naturalisq; filius, iam tandem salutem hu-
manam operaturus, cœlestis ab arce patris in hunc
mundum descendit, & formam serui induens, deie- Philip. 2.
cit sese usq; ad ignominiosam mortem crucis, ut nos
mortuos peccato uiuificaret, intercedenteq; sua pro
nobis satisfactione, nos ut Patri suo cœlesti reconci-
liaret reduceretq; in uiã salutis. An non ergo quæso
hæc magna sunt, creatoris nostri rerũ omnium con-
ditoris Dei, pietatis misericordiæq; argumenta? At
uero hæc non æquant tantum, quin etiam multis no
minibus superant, ea quæ in cœlesti illa ęternaq; gau
diorum aula nobis pręparare dignatus est: quæ apo
stolus talia esse testatur, qualia oculus nõ uidit, qua- 1. Cor. 2.
lia auris nõ audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, Quo-
rum Ioannis xiiij. his uerbis meminisse est dignatus,
Vado, inquiens, parare uobis locum, Itidem Lucæ
xxiiij. Dispono uobis ut edatis & bibatis super men
sam meã in regno meo. Tot hęc P. R. &c. tantaq; no
bis gratuito impẽsa, et maiora promissa, reuocare in

 mentem

mentē identidem, eorumq; nos meminisse decet certe, oportetq;. Siquidē per Salomonē olim viij. Canticorum Spiritus Domini id exegisse uisus est, Pone me, inquiens, ut signaculum super cor tuum. At uero per tot tantarumq; gratiarum, tam exuberantem et prope infinitam multitudinem, quoniam simul omnia, id enim arduum ac pene impossibile fuerit, memori tenere mente non possumus, interim quædam saltem pie seduloq; nobiscum commentemur, Cum primis, ut ipse æternus dei filius humanitatem induerit, ut nobis natus fuerit, ut nobis in hac ualle miseriæ uitam egerit, ut nobis seruandis se impenderit, nostri causa ut mortē etiā pertulerit turpissimam, ut totus nobis datus sit, totus in nostros usus expensus, & ut paucis multa concludam, ut omnia pie clementerq; nostri causa fecerit, semperq; faciat, cuius misericordiæ, nostrū esse, uiuere, intelligere, fœlicitatem preterea nostrā omnem, deniq; ipsam salutē debemus, et oīa, qui sine eo nihil possumus. Hęc pau- Ioan. 15
cula enumerata, P. R. cæteriq; uiri optimi & domini, hæc paucula inquam an non quæso alludunt apposite, ad ea quorum meminit dominus per Esaiam, Esaiæ 5
quid est inquientē, quod ultra facere debui, & non feci? Hæc sunt nimirū ea clementissimi patris illectamenta, quibus nos ad pœnitentiam, atq; ita ad æternæ fœlicitatis consortiū inuitat. O bis marmoreum pectus, quod tanta non emollit benignitas, haud du

bie ma

bie male habiturũ in nouissimis. Singula hæc in inti-
mis animi nostri recessibus merito sunt digerenda,
ipsisq; insculpenda pcordijs. Etenim, ut inquit Apo 2.Tim.2
stolus, nisi cõmortui fuerimus, non conuiuemus, &
nisi sustinuerimus, non conregnabimus. Et Galatis Galat.6
scribens, ego, inquit, stygmata domini Iesu in corpo
re meo porto. Quod eos, qui Christo in Baptismo
nomina dedere, facere exoptãs, nos, inquit, gloriari Galat.6
oportet nõ nisi in cruce dñi nostri, in quo est salus et
uita. Inter tot tantaq; beneficia gñi nr̃o gratuito im-
pẽsa, pie reuocata ad mentẽ excussaq;, quæso nũ fieri
potest, ut nõ exardescat cor nr̃m, desyderio referen-
darũ gratiarꝝ Seruatori nostro, aut habendarũ saltẽ,
& subinde patri suo cœlesti, Optimo Maximo, qui
eum nobis in hoc mundi pelagus, hancq; miseria-
rum uallem miserit, ut perditos redimeret, captiuos
eriperet, uinctos solueret, mundaret sordidatos, nos
miseros, omnium egenos, ut quibus nihil est quod 1.Cor.4
non acceperimus, cuius debitores nõ existamus? At
quum nihil tale, uniuersis uiribus nostris exploratis
nobiscum, sed nec usquam gentiũ sit inuenire, quod
uel aliqua ex parte illi tantæ beneficẽtiæ, ut omnibus
sæculis memorandę, ita omnibus numeris absolutę,
rependere possimus, eho saltem admirantes laude-
mus, glorificemus, amemus, Quin eum totius miseri
cordiæ innocentiæq; fontem atq; exemplum, et gra-
tiarum, pie seduloq; confiteamur, et subinde calicem

 saluta-

salutaris accipientes, gustemus quam suauis est Dominus, eo etiamnum uocante nos, memorato memorandoq; semper rerum omnium conditore deo, hoc sapientis: Venite comedite panem meum, et bibite uinum quod miscui uobis. Quo item in Coena sua nouissima nos inuitat seruator noster Christus Iesus dominus, hoc, inquiens, facite in meam commemorationem. Quod clarius esse uolens, factiq; eiusdem reddens rationem Apostolus, quotienscunq;, inquit, manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis: mortē, inquam, quæ non referendi eius erga nos amoris certiss. est argumentum, ipsissimaq; lapsus humani medicina. At uero q̄ fructuosius meritorieq; magis id faciamus, in hoc totis uiribus necesse habemus incumbere. Quo loci et temporis profuerit magnopere Mosi uiri deo familiaris et noti facie ad faciem, in mentem accersita quadragenaria *illa abstinentia*, propterea suscepta, quo *tabulas illas* prçceptorum lapideas recipere in monte Syna mereretur: quum infinitis partibus maiora sacracioraq; nobis proposita sint accipiēda, Item Beati Ioannis Baptistæ a puericia usq; in eremo illa uitç sanctimonia, sub oculos idētidem posita, Simul & in actu diuinæ operationis adhortatio illa, qua corda nostra admonemur sursum habere erecta. Profuerit sane neq; mediocriter & hoc, quod subinde accinitur itidem in mentē reuocatum, Sanctus, Sanctus,

Prouer. 9.

1. Cor. 11.

Exod. 24.

Sanctus, quo rerum sacrarum studiosi significari uo-
lunt, ad ea sacramenta non nisi purificatos sanctosq;
accedere oportere, Et hinc uolũt illud Apostoli de-
manasse: Probet seipsum homo, qui enim manducat
panem hunc, & bibit calicem domini indigne, iudici 1. Cor. n.
um sibi manducat & bibit, Neq; alio spectare credi-
tum est illud Salomonis xxiij. cap. Prouerbiorum:
Cum sederis cum principe, diligẽter attende quę ap-
posita sunt ante faciem tuam. His perpensis liquere
poterit, quam attente & puriter Seruatori nostro Ie-
su domino principi omnium Optimo Maximo, ipsi
Agamemnoni debeamus accumbere, q̃ solerter per-
pendere, in hac mensa tanti principis, quid appona-
tur, quid sumpturi simus, quid, quale ne sit quod
datur, quis det, quo respectu et fine, Singula hęc so
licite ueniunt perpendenda. Etenim multi ergo pro-
pterea inquit apostolus inter uos infirmi sunt, et dor 1. Cor. n.
miunt multi, quia scilicet parum curiose semetipsos
probantes, & pleriq; proh dolor mentibus plusquã
prophanis, sacratissimum hoc corporis & sanguinis
domini sacramentũ adire tractareq; in grauissimum
suæ animæ dispendium non formidãt, Quem tantæ
impietatis ausum irreuerẽtiãq; cœlestis huius gratiæ,
merito optimoq; iure Eucharistiæ nomine appella-
tæ, quis neget causam esse tantę in nos indignationis
diuinę? Etenim certa fides est, ergo ꝓpterea submer-
sum esse omnem decorem nostrum, nostrasq; mace-
rias

rias pessundatas, et nos tanto uicinis nostris esse sub-
iectos opprobrio, præ confusione scilicet in nos effu-
sa. Atqui ut aliarũ calamitatum, ita certe & illius Lu-
theriacæ tragoediæ nuper in Ecclesia exortæ, hæ cer-
tissimæ sunt causæ, Etenim ad hunc modum plerun-
Psalm. 38 que suos, propter iniquitatem corripuit dominus.
Verum ut humana malo sunt procliuia, si quid id ge-
nus infirmitatis irrepserit animo, sumus quidem ho-
mines, mortalis naturæ, obnoxij peccatis, adeo ut
post Christum, uix unus atque alter sine peccati ma-
cula humanam egerit uitam, Proinde si his malis fue-
rimus attacti irretitiq;, cum Mose manus eleuemus,
ut Amalech ille noster deijciatur, & quo uenenato-
rum hostium morsus minus noceãt, in hoc exilij ere-
mo, serpentem antiquum dęmona suspendamus. Po-
stremo ea affecti febre, filiæ Chananeæ exemplo, ad
matrem confugiamus, ad *matrẽ*, inquam, Ecclesiam,
antequã *prouoluti humiliter*, facti ut paruuli, aspersi
Hysopo, cum lachrymis nostra confiteamur errata,
Haud dubie, quę eius est pietas, ipsa nos clemẽter, ut
parens indulgentissima, in suum colliget sinum, ad
præsentemq; Christi gratiam, ipsum salutis nostræ
Lucæ 5. portum, ut fœlicissime olim in lectulo paralyticus fu-
erat, delatura. Quid enim illa apud sponsum suum
nõ potest? Cuius interuẽtu spes est fore, ut ad se con-
uersos conuertatur dominus, cibetq; ex adipe fru-
menti, et saturet de petra melle, id est, ut det nobis pa-

nem de

nem de coelo, panem angelorum, proficientem in ui-
tam æternam. Cui conuiuio accumbentes meminisse
operæprecium erit Corinthiorum, quos Apostolus 1.Cor.11.
acriter perstrinxit, quod fraternæ obliti charitatis,
hanc egerint Coenam sacratissimam, interim scilicet
alijs famem conquerentibus, ipsi cibis meroq; disten
ti: qua duricia in tãtum mysterium non mediocriter
cõmittebant, uera etenim sanctimonia charitate pro
batur. Enimuero Coenæ huius sacratissimæ dignæ
manducationis certissimum argumentum est, si post
eam faciliores fuerimus ad mansuetudinem, longa-
nimiores ad tolerandas aliorum morositates, ad ser-
uiendum etiam inimicis promptiores alacrioresque.
Contra indubitatũ habeamus, male nobis cessurum
hoc conuiuium, si adhuc ueterem obtinemus pellicu
lam, si iræ, si auariciæ, si inuidiæ odijq; nos focus ex-
coquit, si flagiciosissimæ rerum sacrarũ nundinę cor-
di sunt, si mercedem sine labore cum benefactorum
fraude non solum percipere, at etiam in ea deliciari,
non formidamus. Quod Beatus Gregorius, magnũ
damnationis argumentum esse iudicauit. Etenim &
alia id genus uitiorum genera porro ex animo lon-
ge, si saluti nostræ bene consultum iri uolumus, pro-
pulsa esse oportebit. Enimuero id nisi fuerit, etiam
interim si altare contigerimus domini, procul tamen
a sacro erimus, etenim illud apostoli hinc fluxisse cre-
ditur: Non potestis simul bibere poculum domini 1.Cor.10.

& dæmoniorum. Quapropter posthabito poculo dæmoniorum abominatoque, sequamur Christum Iesum dominum seruatorem nostrum, Lumen, Viam & ueritatem, omnem anchoram nostram in illo solo figentes, perpendentesq; nobiscũ in ipso mentis nostræ intimo recessu sedulo, suæ diuinæ pietatis immensum erga nos charitatẽ, qui tam impense nos dilexerit, ut non tantũ condonarit gratis omnia peccata nostra, *uerumetiam* seipsum *exposuerit* supplicio crucis, ut hoc sacrificio uictimaq; fragrantiæ ueræ suauitatis, patrem suum coelestem, ex offenso nobis redderet propicium. Hanc charitatem, si ut decet emulabimur, facile pecudes nr̃as, id est, affectiones prauas, simul & opera qualiacunq; nostra, maiestatis suæ diuinæ uoluntati contraria, mactabimus, quæ gratissima eiusdem maiestati diuinæ creditur esse uictima, Sed & nos ipsos illi offeremus, q̃ semetipsum pro nobis, *deo patri coelesti* imolauit. Hæc animo *uigilanti* si non expendimus, & deniq; confidimus accedentes, sane ludimus operam, ingensq; nobis accersimus malum. Odit deus pinguem istam & crassam religionem, qui non quæ foris sunt, sed intima, mẽtem ipsam scilicet, respicit, cordium scrutator est, Domesticas intimasq; contuetur latebras: Spiritus est, in spiritu & ueritate adorari quærit: Animus est, mente coli amat: Summa est puritas, cordis diligit mundiciam, nihil inquinati uult suo conspectui assi-

stere,

ſtere, qui per pſaltem Regem inquit: ambulãs in uia immaculata hic mihi miniſtrabit. Quod item per Regem Babylonium olim ſignificari uoluit, Danielis primo, qui pueros filiorum Iſraël, in quib. nulla eſſet macula, accerſiri, ſuoq; conſpectui adhiberi iuſſit. Non prȩter cauſam itaq; per Eſaiam dictũ legimus: Mundamini qui fertis uaſa dñi, Et item: lauamini & mũdi eſtote, Speciatim nos, a quib. maius quiddam q̃ ab alijs, pro elargita nobis dignitatis qualitatȩ exigit, qui nos ſalem terrȩ, normam fidelium, populi ſui paſtores conſtituit & eſſe uult, qui nos lucẽ mundi nominauit, ut qui alijs ſimus a doctrinis, ab exemplis, ut prȩeamus lucemq; prȩferamus, opera noſtra bona, quæ apud eos aliquanto pluris ſunt q̃ uerba, uult in ædito poſita ut uideantur, uult inquã ita nos eſſe haberiq; inſtructos, ut qui ſciat nos ita ueneran dos, miniſteriumq; noſtrum ita fore acceptabile, ita doctrinã efficacem flexanimamq;, ita penetraturam ad intima uſq; cordium, quam ſine operibus Tertullianus erubeſcere dicebat. Hic P. R. cõfratresq; chariſſ. re, loco & tempore exigentibus, non abs re fortaſſe feciſſe uidebor, ſi Beati Chryſoſtomi hoc attexuero: Clerici nullam habere debent maculam, neq; in cogitatu, neq; in uerbo, neq; in facto, neq; in opinione, quia pulchritudo ipſi ſunt & uirtus eccleſiæ, item fortaſſe nõ inutile fuerit cõmemorare ueteris legis ſacerdotib'. Leuit. xxi. quid fuiſſe dictum prȩce

Pſalm. 100

Eſaiæ. 52 & . 1.

Matth. 5

ptumq; legimus, hoc scilicet: omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedat offerre hostias domino, nec panes deo suo. Ibidem septimo itidem legimus: anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorũ, quæ oblata est domino, peribit de populis suis. Si illi hostias legis ueteris umbraticæ, quæ huius omniũ sacratissimæ fuere figuræ, oblaturi, sub mortis interminatione incontaminati esse debebant, *pape quanto maiora nos* sacratioraq; oblaturi sumpturiq; mysteria, multo maxime minus incõtaminati esse debemus, tenemurq;? Siquidẽ oblaturi sumpturiq; panem de cœlo, panem Angelorum, panem in Bethlehem natum, nempe Iesum filium dei, Messiam nostrũ optatissimum, optimũ maximũ, humanatũ pro salute generis humani olim per primos parentes fraude dæmonis operante collapsi, humanatum inquam per immensam dei patris misericordiã, & *cœlitus demissum*, eho quanto affectu a patribus olim in lymbo expectatum, optatũ, uocatũ, quã summis precibus oratũ et obsecratũ? Summo itaq; conatu P. R. confratresq; chariss. nobis innitendũ est, ut tanto Principi accubituri, cœnamq; hanc sacratiss. comesturi, oĩes exploremus cordis nostri sinus, lauacroq; pœnitentiæ conscientiam nostram emundantes adornemus, ut fructuose & cum augmento gratiæ id fecisse nobis contingat: ne alioqui fortasse adeuntes manducantesq; hunc panẽ, et calicẽ domi-

cem domini bibentes indigne, quod per suã immensam misericordiã auertat dominus, ingẽs exterminij æterni malũ nobis accersamus, & miseri tandẽ horrendũ illud audire cogamur: Amici, quomodo non habẽtes uestẽ nuptialẽ huc intrastis? & item subinde metuendũ illud sentẽtiæ fulmen, nulli unq̃ retractandũ: heus ligatis manibus pedibusq; mittite eos in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentiũ. A quo tanto tamq; horrendo malo, tueri nos uelit digneturq; misericordiarum pater Deus benedictus & gloriosus in sæcula. Dixi. Matth.22.

SECVNDA CONCIO DE COENA DOMINI.

BENE AC SAPIENTER MAIORES OLIM nostri instituerunt, ut perinde atque rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus sumeretur, quod nihil rite nihilq; prouidenter homines, sine deorum immortalium ope, cõsilio honoreq; auspicarentur. Qui mos cui potius quam nobis Dei Opt. Maximiq; ministris sacerdotibus, aut quando magis usurpandus excolendusq; est, quam cum de charitate Christiana, de modestia, pietate, fide, de morum in uniuersum honestate, cum denique de rebus diuinis cęteris, atq; adeo de ipso deo ex officio functioneque nostra ad dicendum excitamur?

Quod hodierna die mihi quoniam per occasionem faciendi datum est negocium, aptũ piumq; uidetur, te ultramundane, æterne, summeq; deus precari, ut mihi digna tua cœlesti sacratissimaq; maiestate, digna uenerando hoc patrum consessu, digna pręterea omnium, quos tu optime gentis humanæ conditor, seruator ac propagator deus, hic adesse uoluisti, pręsentia, contingat oratio, utq; omnibus hic dicendis mihi, constet libertas, ueritas, fidesq;. P. R. Confratresq; chariss. humaniss. dignissimiq; auditores cæteri & domini, de Cœna nouissima seruatoris nostri Domini Iesu, quam hodierna die sancta per orbem Christianũ recolit mater Ecclesia, dicturus prodeo, Cuius plura sunt sane maioraq; sacramẽta, quam ut succincta complecti oratione, aut explicari tempore breui possint. Etenim in hoc actu cœnę huius nouissimæ, sedula sanctissimaq; pietas domini Iesu, documẽtorum suorũ *mirabiliumq;*, anacephaleosin quandam præbuisse uisa est, Eorum inquam documentorum mirabiliũq;, quæ legis nouæ totius summã præ se ferunt, & certissimũ quendam salutis humanę scopum præfigunt commonstrantq;. Lauit hic suorum pedes discipulorum, pius optimusq; magister, dixitque: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego magister uester & dominus, laui pedes uestros, & uos alter alterius lauare debetis pedes. Exẽplum

Inuocatio.

Mysteria cœnæ dñi.

Recapitulatio.

Ioan. 13.

enim

enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Hoc tanto sanctæ humilitatis exemplo, eoque sermonis, quo opus hoc ita pium iuxta ac salutare subsequutus est, contextu, unice charam patri suo cœlesti humilitatis sanctæ uirtutem duxit commendandam, Cuius dubium est sanctiorem ne an cognitu digniorem B. Augustinus fecerit mentionem, ubi perinde (inquit) atque olim Demosthenes quid esse primum in oratore existimaret ter rogatus, ter actionem siue pronunciationem esse respondit, & subinde ad hunc modum: Ego (inquit) id si in Christiano fuerim rogatus, non aliud certe ter quam humilitatem fuerim dicturus. Et hoc est nimirũ quod uirgo parens cœlesti afflata spiritu, ad Elizabet cognatam suam loquens, Lucæ i. respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. Itidem Psalmographus rex, Psalmo supra Centesimum tricesimum septimo, Excelsus, inquit, dominus humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Sed neque absurde facturus uidebor, si hoc loci & temporis, Apostolorũ principis Beati Petri etiam hoc attexuero: Deus superbis resistit, humilibus autẽ suam dat gratiam. Fidem deinde, quam salutis nostræ basim esse ac radicẽ in uniuersum persuasum ratumque habemus, ut in cordibus discipulorum suorũ iampridem conceptam firmaret, ad Philippum dixit: Philippe, qui uidet me, uidet & patrẽ meum, Item: Ego & pater unum sumus, Quibus diuinita-

Laus humilitatis.

B. Augustinus in epistola ad Dioscorũ.

1. Pet. 5.

Fidei corroboratio.

Ioan. 14

Ioan. 10.

uinitatem suam testatam esse, assertamq; de se fidem
Hebr. 11. uoluit, fidem, inquam, sine qua placere Deo nemo
potest. Quo circa aduersitates propter eandem in se
fidem sanctam futuras suis discipulis, quo præscitæ
Ioan. 16. forent tolerabiliores prędictas uoluit, dicens: Amen
amen dico uobis, plorabitis uos & flebitis, mundus
aūt gaudebit, Absq; synagogis facient uos, Quia ue-
nit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitret̃ se obse-
quium præstare deo, quia non nouerunt patrem ne-
que me. Post eam tñ exercendæ patientiæ materi-
am, ne inconsolatos relinqueret suos, optimus pijssi-
Ioan. 14. musq; magister, hoc duxit subiungendum: Non tur
betur cor uestrum, neq; formidet, tristitia uestra uer-
tetur in gaudium. Iterum enim uidebo uos, & gau-
debit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet
a uobis. Quas aduersitates D. Augustinus Christia-
August. dictum. nismo iudicauit esse necessarias, dicebat em̃ ad Chri-
stianam pietatem pertinere, non solum bona opera-
ri, sed etiam aduersa tolerare. Quas præterea beatas
identidem dictitabat, ut quæ beatitudinem operen-
tur, & hinc est illud Beati Petri Apostoli, primæ Ca
1. Petr. 3. nonicæ suæ tertio: Et si quid patiemini propter iusti
Laudes patientiæ. tiam, beati. Quibus Beatus Petrus apostolus patien
Tertullia. tiæ dotes cõmendatas uoluit. Qua uirtute Tertulli-
anus uir neutiquam contemnendę authoritatis, nul-
lam inter homines pręstantiorem commodioremq;
reperiri posse arbitratus est, Eoq; Romanę eloquen
tię prin

tiæ princeps Cicero, Iulium Cæsarem nullam uirtutem dicebat patientia habuisse admirabiliorem. Cuius rei gratia putat B. Augustinus, dei prouidentia factum, ut clarissimum in orbe terrarum nomen, ab ipsa clarissima uirtute patientia obtinuerit, a patientia, qua nosmet ipsos uincimus, quod neutiquam factu facile existimandum est. Alexandrum siquidem illũ uulgo Magnũ uocitatũ (cui Philippus olim Macedonũ Rex pater erat) orbem terrarum subegisse, se tamen uincere non potuisse Chronicorum testantur libri: usq; adeo arduum hoc esse constat ac difficile. Vnde illud oppido quam elegans legimus: Fortior est qui se, q̃ qui fortissima uincit oppida, nec uirtus altius ire potest. Et Christus dominus Seruator Lucæ 21 noster, discipulos suos, nõ in alio animas eorũ quam in patientia dixit possessuros. Ad ulteriora deinde prouecturus, pius optimusq; magister, super oĩa Christianismo necessariã aggressus est charitatem, ad Commẽdatio charitatis. quam magno studio & toto (quod aiunt) pectore discipulos suos hortari dignatus est, atque de ea ad hunc modũ præcipere: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, Et non ita multo post item: Ioan. 13. Hoc est præceptum meũ, ut diligatis inuicẽ, Et post pauca item, quo stringeret arctius, sic subiungẽdum duxit: Hęc mando uobis ut diligatis inuicẽ. Non de cibo & potu tam solicite totiesq; meminisse est dignatus, atq; de ipsa mutuo seruanda charitate, cuius

toties repetita mentio, haud uulgaris eius commendatio est, Et iuste quidem & merito, etenim ubi charitas est, ibi deus lucet, ibi emicat gratia, Cuius B. Cyprianus libro suo de patientia sic meminit: Charitas fraternitatis uinculũ est, fundamentũ pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quę & spe & fide maior est, quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiscum æterna in cœlestibus regnis permanebit. Hæc teste B. Gregorio, *diuisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat*, quę de seipsa dicit: qui non colligit mecũ, dissipat. Hæc est illa P. R. cõfratresq; chariss. humaniss. dignissimique auditores cæteri & domini, Hæc inquam est illa Christiana, mutua fraternaq; charitas, quam Apostolus nunc legis plenitudinem, nunc super omnia necessariam, nunc perfectionis uinculum nominat. Quam B. Petrus Apostolus eam esse uirtutẽ dicit, quæ *peccatorum operit multitudinem*, Et rursus B. Paulus apostolus, illustre quiddam illi meritoq; magnum attribuit, ubi qui proximum diligit, legem impleuit, dixit, Et Corinthijs scribens, eam & miraculis prophetiæ & angelorũ linguis præponit. Quod neutiq̃ temere Apostolũ fecisse arbitrandum est, cũ æterna ueritas Christus Iesus dominus eã diuino honori pręferendã censuerit, simul atq; Matthęi v. dixit: Si offers munus tuũ ad altare, et ibi recordatus fueris, q́ frater tuus habet aliq̃d aduersum te, relinque ibi munus tuũ, et transi prius recõciliare fratri tuo.

Cypria. li. de patiẽtia

Rom. 13.
1. Cor. 13.
1. Petr. 4.
Rom. 13.
1. Cor. 13.

tuo. Quibus sacrificiũ patri suo cœlesti, minime acceptabile significauit, nisi in charitate factũ, Quo om̃ia legis nouæ præcepta recta tendere uidemus, et bene sane recteq́ꝫ, siquidẽ ut ad eam uirtutem, quã ob insignem cũ eruditionẽ, tum uitæ sanctimoniã, uiri celebratissimi, ueri Christianismi probationẽ esse uoluerunt, asseruerunt q́ꝫ. Quæ per etymologiã charitas quasi chara dicitur unitas, & recte certe & uere, etenim hæ duę uirtutes, ita sibi attinẽt, et arcta se contingunt cognatione, perpetuumq́ꝫ quendã ad se habent respectũ, ut ibi charitas non sit, ubi non fuerit unitas, & ubi charitas non fuerit, ibi deum non esse, qui est charitas, neq́ꝫ animarũ salutem cõstare in confesso est, dicente Apostolo: Si om̃ia fecero, charitatẽ autẽ non habuero, nihil sum. Id propterea haud dubie Christus dñs suis discipulis unitatẽ, ut perquam necessariam, a patre suo cœlesti ad hunc modũ precari dignatus est: Pater sancte, serua q̃s mihi dedisti, ut unũ sint, ut nos unũ sumus, Et non ita multo post item: Non pro eis rogo tantum, sed & ꝓ his, qui per uerbũ eorũ in me credituri sunt, ut & ipsi unum sint, ut nos unũ sumus. Id & olim pater cœlestis in creando homine per allegoriam duxit significandũ, unum creans hominẽ solũ, ergo propterea scilicet, quo gratam sibi hominum unitatem posteritati significaret, cuius xij. de ciuitate dei B. August. meminit. Ex his adductis abunde liquere potest P. R. quantum extra

Charitatis etymologia.

1. Cor. 13.

Ioan. 17.

Extra unitatẽ ecclesię non est salus.

extra unitatẽ sanctæ orthodoxæ uniuersalis Ecclesię animarũ salus periclitetur. Quod uel unũ B. Cyprianum martyrẽ & episcopũ mouisse crediderim, ut dixerit: qui unitatem sanctę uniuersalis Ecclesiæ nõ tenet, fidem patris & filij non tenet, non tenet uitam et salutem. Et alibi item: Qui ab unitate sanctæ orthodoxæ uniuersalis Ecclesiæ recesserit, seorsum uiuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit. Quem *Fulgentius* sequutus, sic item ait: Qui ab unitate sanctæ uniuersalis ecclesiæ recedunt, spiritũ sanctũ amittunt. Quę B. Augustini est sentẽtia, dicẽtis: qui mysteriũ unitatis, id est corpus & sanguinẽ dñi Iesu, in sacramento accipit, & uinculũ unitatis sanctę ecclesiæ non tenet, nõ accipit mysteriũ pro se, sed testimoniũ contra se. Apposite certe pro re, loco & tẽpore dictũ, enimuero nisi in unitate Christiana perstiterimus, pacem quã seruator noster Christus Iesus dñs, ex hoc mundo ad patrem suum cœlestem iamiã rediturus, suis discipulis, et omnibus nobis futuris Christianis reliquit deditq;, habere non poterimus, atq; ita neq; deũ in cordibus nostris, cui non nisi in pace locus est. Quã pacẽ Silius Italicus, rerũ omium, quas natura dedit hominibus, esse optimũ, B. Augustinus iustorum delicias, Erasmus Roterodamus, parentẽ omniũ seruatricẽq;, et deniq; omnis fœlicitatis fontẽ dixere. Quam M. T. Cicero, etiam iniquissimã, bello iustissimo iudicauit pręferendã, Et merito certe, in

Libro de simplicitate Prælatorum.

Ioan. 14

Psalm. 75.

Pacis commoda.

te,in pace siquidem calēt artes,florēt honesta studia, uiget legum reuerentia,augescit religio,crescūt opes, polletq; morū disciplina. Propter tot igiť eius egregia cōmoda, ex animo sane optanda omnibus, eam nos a rerū omniū conditore deo orātes,humiliter et sedulo clamamus: Da pacem domine in diebus nostris &c. Nonnihil hæc boni salutarisq; consilij habent trahuntq; secum, digna sane quæ perq̄ accurata perpendant cogitatione. Et Seruator noster Christus Iesus, in hac cœna nouissima, quā hodierna die sancta per orbē Christianum recolit mater Ecclesia, mirabiliū suorū, cum primis ineffabilis illius beneficentiæ,suæ scilicet pro nobis mortis,memoriā sempiternam facturus,id est corpus suum & sanguinē mirabili, ea scilicet qua de nihilo omnia creauit,potentia, nobis daturus, In his rebus hoc facere uoluit, quæ ad aliquod unum rediguntur,nempe sub speciebus panis & uini, Etenim ut multa grana in unū panem rediguntur, & multi racemi in uinum confluūt: ita nos qui hoc pane cœlesti uescimur, & poculum eiusdem sacrosancti sanguinis bibimus, per hoc unitatis mysterium, ut in unū redigamur & simus, Christoq; capiti nostro, ut connectamur incorporemurque. Atqui ho[illegible] nisi fecerimus,ad illa beatissimæ æternitatis fœlicissimaq; gaudia in cœlum conscendere non poterimus. Nemo enim ascendit in cœlum, nisi filius dei,qui de cœlo descendit,id est,nisi filio dei in

Esa.39

Vnitatis mysterium in Eucharistia.

Ioan.3

corporatus, filio dei unitus, atque in eum mutatus. Quod per fidei gratiam fit, quæ a deo, qui in cœlis est, descẽdit. Sed ut redeam unde diuerti, Corpus domini Iesu & sanguinem in sacramento, esse Christianæ unitatis symbolum, testatur etiam Apostolus ad Corinth. xi. Vnius panis (inquiens) multi sumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. Attamen artificio satanæ factum uidemus, ut ea res *quæ conciliandis nobis omnibus* data est, tot olim dissidia genuerit, et nuper reuocauerit, olim inquam, anno siquidem ab hinc supra quadringentesimum octuagesimum quarto, ut ex historijs colligimus, sub Pontifice summo Leone huius nominis nono, & Henrico Imperatore nominis huius secundo, Romanis, Berengarius Turonẽsis Diaconus, inanis gloriæ siti agitatus. Qui ut Guimundus Auersanus Archiepiscopus scribit, maluit sub aliqua hominum admiratione esse hæreticus, quam sub oculis dei priuate uiuere catholicus. Is hæreses scandalosas seuit perniciosasq́ꝫ, Legitima siquidẽ matrimonia, de uxoribus Platonicorum et Nicolaitarum deinde dogma sequutus euersa uoluit, paruulorũ baptisma improbauit, negabatq́ꝫ esse adorandum sacrosanctum altaris sacramentũ, ut quod minime u[illegible]um Christi corpus crederet, multas hoc circa parum pias, quinimo absurdas, mouit quęstiões. Qui post deinde tot suæ sediciosæ factionis turbas, & plurima hoc circa mali-

Berengarij heresis.

tiæ suæ

tiæ ſuæ molimina, in Concilio Romano ſcripturis ſanctis Canonicis legitime conuictus, hęreſes ſuas ut legitime damnatas, publice recantauit, egitq́ poenitentiam. Verum poſt annos deinde fere ducentos (propter peccata crediderim hominum) eædem in Ioanne Viclepho repullularũt, & diffuſę per orbem Chriſtianum, in Boemia a quibuſdam arreptæ, tandem coaluerunt, egerũtq́ radices, Arreptæ inquam, per occaſionem iſtam: In Academia Pragenſi de electione Rectoris, occaſione uocũ, ſimultates graues controuerſiæq́ ſubinde & lites fuere exortæ, inter Boemos indigenas parte ex una, et Alemanos (quos per id temporis plurimos, uſq́ ad inuidiam, & ſubinde odium Boemorum, habuit ciuitas Pragenſis) parte ex altera. Per ſententiã uero Regis Boemorũ Venceſlai nominis huius tertij, litis emerſę iudicis, ab Alemanis uocibus ad Boemos tranſlatis, multo maxima odia creuere, eo uſque, ut aliquot Alemanorũ, omnis ordinis et conditionis, milia, urbẽ Pragenſem reliquerint, Eccleſiaſtici beneficijs, literarum & Philoſophiæ cæterarumq́ artium profeſſores collegiaturis, cęteri (quorum ingens numerus erat) rebus ſuis ac domibus illic relictis, qui extra regnum deinde cõſtituti in eoꝝ domos, beneficia, et collegiaturas ſucceſſores, ad urbem Romanam, ubi ſumma iuris dicendi erat, citauere. Citati ſiue iuſtitię ſuę diffidentes, ſiue qui in proceſſu litium cauſarumq́ forenſium ueniunt

Hęreſis Viclephi in Boemiã deriuata.

Occaſio diſſidij.

niunt laboribus deterriti, sumptibusq; rimam suffu-
gij quæsiere, atq; doctrinam Viclephi per id tempo-
ris orbem Christianum peruagantem (cuius non ita
multo ante cōmemini) qualis qualis fuerit, quia desti
nato eorum negocio per quam uisa est accommoda,
quod iuris Canonici ecclesiasticarumq; censurarum
authoritatem nihili faciendam suaserit asserueritque,
ne ijsdem parere uiderētur obnoxij, per occasionem
rerum agendarū optimam adiutricē arripuerunt, &
sub hoc nouæ doctrinę prętextu, Viclepho nomina
dantes, obedientiæ sanctæ renunciauerunt. Qui mo
tus deinde propterea, quātaq; bella suscepta sequu-
taq; fuerint, argumento sunt fidemq; narrationi fa-
ciunt, passim conspicuæ per Regnum Boemiæ tem-
plorum, Arciū, Ciuitatūq; ruinæ, ne quid dicam in-
terim de pagis, quos propemodū (ut ita dixerim) in-
finitos, destitutos habitatorib. in hodiernū usq; diē
incultos desertosq;, uidere est. Quib. deinde modis,
a tot erroribus hæresibusq; ad eum, in quo nūc statu
est, Regnum Boemiæ deuenerit, per longum referre
esset. Quæ Martinus Luther innouauit nuper, reuo
cauitq;, cuius scire prope aliud non est, quam Beren-
garij Viclephiq; reminisci. Quod ex animis nostro-
rum rusticorum quoniā haudquaq̄ abolitum erat,
reuocatum per eum, item uulgatumq; renascitur, re-
pullulat iam herbescitq;. Quas hæreses Viclephi nu
per reuocatas a Luthero, scripturis sanctis Canoni-
cis le-

Mala per hęresim in Boemia.

Innouacio errorum.

cis legitimisq; olim satis & copiose repressere pluri- mi, præcipue Guimundus Auersanus Archiepisco- pus, & Algerus, uiri cum religionis pietate, tum sin- gulari eruditione insignes, Quorum libros his tem- poribus nostris perquã accõmodos, Erasmus Ro- terodamus, ille æui nostri singulare ornamentum, il- le, inquam, literarum Theologiæq; instaurator, resti tutorque, ut quondam signorum Camillus, nuper e situ in lucem asseruit, Quem nos ingenij & doctrinæ principem, quod olim de Platone Cicero dixit, iuste possumus dicere, Ad quorũ lectionẽ, dum hic com- mode per temporis angustiam et eorum amplitudi- nem recenseri non possunt, D. V. remitto, quos ipse Erasmus Roterodamus, summo cum animi fructu se perlegisse scribit. Scribit præterea, & si nunquam dubitauerit de ueritate corporis & sanguinis domi- ni in sacramento altaris, ex eorum tamẽ librorum le- ctione, non parum sibi & confirmatam sententiam, & auctam reuerentiam. Quamobrem si qui his me moratis hæresibus, nuperque reuocatis, de fide ado- randi sacrosancti altaris sacramenti decussi sunt, aut quouis modo alio fluctuant (quos quidem proh do lor multos scimus uidemusq;) hi certe cum primis, uerbis domini Iesu super cœnam in re præsenti pro- latis istis, hoc est corpus meũ, sisti firmariq; possunt, Quę quidem uerba, Christus dñs aperta clarioraq; esse uolens, nõ ita multo ante, Ioannis vi. dixit: Panis

Guimundus & Algerus.

Erasm. R.

Verũ corpus & sanguis Christi in Eucharistia.

E quem

quē ego dabo caro mea eſt, his deinde ſequentib. q̊d pro uobis tradetur, itidem ad ſpeciē ſacroſancti ſanguinis, qui ꝓ uobis effundet̃, tradenda ſe dare ſignificauit, traditus eſt autem ipſe Chriſtus, dedit itaque ſeipſum, cuius cōmeminit Apoſtolus, prima ad Titum ſecūdo, Chriſtus, inquiens, Ieſus tradidit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus, tradidit inq̃ ſeipſum ut ſcilicet eſſet in nobis, & nos in illo, neque habitudine *quadam ſolum*, *quæ* per charitatem intelligitur, uerū participatione naturali. Quod & B. Thomas Aquinas in hymno de cœna dñi expreſſit, ubi naſcens, inquit, dedit ſe in ſocium, conueſcens in edulium, moriens in precium, regnans in prę̨mium, dedit inquam ſeipſum ſub ſpeciebus panis & uini mirabiliter, ut mirabiliū operatorē deum decet, nec mirabilius certe q̃ olim in utero uirginis concipi uoluit, q̊d Lucę.i. legimus credimuſq́ꝫ, horū incogitabile utrunq́ꝫ, *incōprehēſibile* utrunq́ꝫ, uerū hoc demū ſua cōprehenſibili potētia dignū, incomprehenſibilia beneficia largiri. At uero illam mirifici naturæ rerumque omnium opificis ac domini potentiam diligentius ſi perpenderemus, neutiq̃ tanta duceremur admiratione, qui nutu poteſt quicquid uult, apud quē nō eſt impoſſibile omne uerbū. Item ſiſti poſſunt uer-bis apoſtoli, i. Cor. xi. iſtis: Ego enim accepi a domino, quod & tradidi uobis &c̃. Tum Sinodorum autoritate, Clariſſimorum deinde uirorum inſigni cum

Confirmatio ueritatis.

erudi-

eruditione, tum sanctitatis opinione celeberrimorũ, super eo libris æditis, postremo tanto tamq; diuturno populi Christiani consensu, & tanto sæculorum usu, sisti & firmari possunt, atq; statuere apud animũ suum, ut concorditer inconcusseq; credant, et pro dignitate sanctitateq; sacramentum hoc sacrosanctum pie tractent, uenerentur, adorẽtq;. Tantam præterea, tamq; gratuitã generi humano diuinitus factam gratiam cõmemorantes, sumant in peccatorũ remissionem. At quis existimet quæso horũ quicquam illos credere ex animo, aut facere, qui dum hoc sacrosanctum celebratur mysterium, tanq̃ res ludicra agatur, garriunt ad altare dei, tractant, disceptant, contenduntq;, adeo ut interim sacra faciens se in aula uerius cõstitutum quam in ecclesia existimet? Aut illos qui fabulis inanibus tempus terendo obambulant, sermonis uicissitudine cœnę hesternę obscœnia commemorãtes, obsonia dixisse uolebam. Qui scire certe meminisseq; deberent, hoc altare dei circũstare adorãdos spiritus Angelicos, adesse eũ in quem tota cœlestis curiæ militia gaudet prospicere: Deum atq; hominum fidem, quur illis non in mentem ueniunt uerba Diui Patriarchæ Iacob dicẽtis: Vere est dominus in loco isto, non est hic aliud nisi domus dei & porta cœli, Aut B. Nili martyris & episcopi de ecclesia sic scribentis: In ecclesia nõ secus quam in cœlo uersare, nihil ibi terrenũ cogita, nedum loquaris. Animum

Reprehensio irreligiosorũ circa sacra.

Gene. 28

prçterea eorum pulsare mouereq́ etiam B. Augusti ni doctrina deberet, fratribus præstita, quæ habet in canone dist. xliij. ista. In oratorio præter orandi psallendiq́ cultum, penitus nihil agatur. Postremo commonefieri abunde possunt hi, si quis modo sensus inest, his uerbis sacerdotis exhortãtis dicẽtisq́, Sursum corda, Itẽ, gratias agamus dño deo nostro, uere etenim dignum & iustum est, æquum & salutare, Hic attollere mentem, hic cor erigere, hic attentione magna, magna deniq́ deuotione & reuerentia atq́ etiam ingẽti tremore, huius terq́ quaterq́ adorandi mysterij dignitatem perpendere, & subinde sumere reuerenter ac deuote. At certe ut nostra quoque (ut aiunt) uineta cedamus, quo populus pro dignitate sanctitateque hoc sacrosanctũ ueneretur mysterium, adoretq́, nõ parum momenti habet conuersatio nostra, nostra inquam conuersatio, qui theologiam uitæ Christianæ magistram profitemur, quorum doctrinæ & professioni facta contraria si æmuli ordinis nostri uideant, deum immortalem quanta continuo cũ ignominia, quot sannis, quot scommatis carpant, adlatrent, subsannentq́, et ut sæculi huius sunt mores, amarulenta uerborum acritate misceant ima summis & candida nigris, præsertim fæx ista Luderi ac Pighardi, qui omnia studia, om̃es conatus, omne deniq́ ocium atq́ negocium eo cõferunt, ut opinionem nostrã apud promiscuam plebem, & omne hominum

Admonitio sacerdotum.

minum genus extenuent, traducantq́ʒ? Quocirca eo dementiæ per inuidiam (quæ nuſquam non regnat) prolabuntur pleruncq́ʒ miſeri, ut minus uidēdo plus uideant, & pituita malitiæ oculis uitiatis, eo ueniunt erroris, ut nihil uidētes, uidere ſe tñ aliquid arbitrentur. Sed miſſos faciamus eos, & pro noſtra profeſſione ordiniſq́ʒ ſanctitate, perinde atque uirtutum fideiq́ʒ ſanctæ decet anteſignanos, enitamur eſſe quod dicimur, quodq́ʒ dici uolumus, enitamur inquam, ne in nobis uideāt, quod uere bonoq́ʒ iure arguere, aut q̊d (qui eorum mos eſt) calumniari ridereq́ʒ poſſint: alioqui certe perinde atq́ʒ grammaticos ſe profeſſos rident, ſi barbare loquantur, aut ſi abſurde canant qui ſe haberi uolunt Muſicos, quod in his ipſis peccent, quorū ſcientiam profitentur, nihilo minus nos theologos, qui ſacra tractamus, docemus, miniſtramusq́ʒ ridebunt, ſi in ratione uitę Chriſtianæ peccantes uiderint: atq́ʒ eo amplius ridebunt, quod in officio, cuius magiſtri eſſe uolumus, labamur artemq́ʒ uitæ Chriſtianæ profeſſi, in eadem delinquamus. Inter natos mulierum quo nō ſurrexit maior, Ioannes Baptiſta, pręcurſor domini, nobis exemplo eſſe poteſt debetq́ʒ, qui diuinitus ſibi functioni deſtinatæ, ut ſe parauerit, ſancti enarrant Euangeliſtę. Puer in deſertum abijt, illic in ſumma uitæ puritate, ſobrietate, cōtinētia, auſteritate, modeſtia, & ut ſemel dicam, in omni ſanctitate uixit, interea uſq́ʒ dum uerbum domini ad

Locus a ſimili.

Exemplū Ioan. Ba.

Lucæ 3. ni ad se factum audiret. Qui tamen tanta domini Iesu, incarnati dei, celsitudinis perterritus amplitudine, destinatum sibi negocium, indignitatis suæ citato in hoc prætextu cœpit declinare, auersariq́ꝫ, donec filij

Matth. 3 dei admonitiõe intercedẽte esset animatus, At pape quanto cum tremore illum tandem sacrosanctum uerticem domini contigit? Quod certe nos ut identi-

1. Cor. 11 dem perpendamus, innuere uidentur uerba Apostoli dicentis: *probet aũt seipsum homo*, id est cordis sui penetrale ingrediatur, & suammet ipsius interroget

Esaiæ 1. conscientiam, Quod Esaiæ uerbis ut faciamus identidem admonemur, lauamini dicẽtis, & mundi estote. Præcipue nos, nos inquam præcipue, huius adorandæ functionis ministros, non probari modo lauariq́ꝫ, sed & sanctificari oportet, ut non gesticulationibus tantum, non uestitu tantum ac uocibus, sed totius uitæ tenore, *muneris nostri dignitati* respondeamus. Ergo propterea seruator noster Christus dñs in hac coena sua nouissima, quam hodierna die

Leuit. 8 cõmemoramus, perinde atq́ꝫ olim Moses lauit Aa-

Cur lauerit pedes discipulorum. ron & filios eius, suorum pedes discipulorum duxit lauandos, & recte quidem, ut qui mundos habere uoluit neq́ꝫ tñ (ut sunt humana) habuit, in eo haud

Ioan. 13. quaquam numeroso collegio, alioqui minime dixisset, mũdi estis, sed nõ omẽs. Proh dolor & hodie in ordine nostro non pauci parum bene loti mundiq́ꝫ inu eniri possint, dũ nemo existat cuius uirtutes nul-

lo uiti-

lo uitiorum confinio lędantur, et ut absolute dicam, cum nemo sine crimine uiuat. Hos ipsos itaq; Esaias lauacro pœnitentiæ, præceptorumq; dei obseruantia lauandos, et gentium doctor Apostolus, probãdos uoluere: non ignari, purissimi illius rerũ om̃ium conditoris dei, ad cuius puritatem parum pura est, cõspicua nobis, solis claritas, decere bene lotos, mundos, purosq; esse ministros. Ethnicus autor Plinius secundus iunior quæso quid dixerit audite: Dij inquit, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætantur, gratiosioresq; existimantur qui delubris eorũ puram castamq; mentem, q̃ qui meditatum carmen intulerint. Si Ethnici idololatræ hoc sensere, pape quanta Christianos, quanta nos peculiares dei Opt. Maximiq; ministros sacerdotes decet puritas, sobrietas, pudicitia, quantus uulgarium uoluptatum contemptus? Quantus diuinarum literarum amor? Quam indecorum est, sacerdotem, mox a tali mysterio, quod diei reliquum est, compotationibus, prophanis fabulis, chartis, alea aut ociosis obambulationibus consumere? Hęc animo uigilanti expẽdere, piũ certe salutareq; fuerit, Etenim hijs perpensis, mens animusque noster erigi poterit accendique, atque ita reddi uigilantior, ne quid quo humana imbecillitas possit offendi comitetur, unde de tam ineffabili mysterio, cuius nos indigni sumus ministri, impie sentiendi hæreticis ansa

Esaiæ 1.

1.Cor.11.

Insigne dictũ Plinij.

uidea-

uideatur porrecta. Quod ut faciamus, iam sic mundi inuersa scena, et tot tantique orbis Christiani motus, & turbæ non ita dudum in ecclesia exortæ, nos monent abunde, hortanturque, itidem monent, et nihilominus hortantur, ut ministerium nostrum, cuius tanta est sublimitas, tractemus religiose, honorificeque, & sancte obeamus. Quod factu fuerit facilius, si

1.Cor.11 Doctoris gentium Beati Pauli Apostoli facti imitatores fuerimus, perinde atque ipse Christi fuit, Itidem

1.Petr.1. Apostolorum principis Beati Petri Apostoli si doctrinam de sancta conuersatione habenda sub oculos positam semper habuerimus, nos præcipue, nos inquam, quibus cum Pighardis iam agere uitam o-

Pighardi rustici. portet, cum Pighardis, quos Lutherus, rusticos nimia ruditate pditos Boemos nominauit, Lutherus, cui non parũ in cognoscendis hæreticis censęam credendum, qui scilicet tantum & operæ & temporis his prouehendis locauerit, qui fęce hęreseos tam perfusus est & astu, quam qui plurimum. Cum itaque peccatis nostris id merẽtibus iam usu uenerit, ut cum hoc hominum genere uiuendum nobis sit, uel ergo propterea magnopere enitẽdum nobis est, ut uitam Christo dignam professionique nostræ debitam agamus, sic ut Christiana in nobis pietas reluceat emicet, clarescatque lux euangelica, quo calumniosam eorum de nobis opinionẽ refellamus, enimuero si Christianam pietatem, si uitæ sanctimoniam, si denique

Christi-

Christianam laudabilēq; in nobis perspexerint conuersationem, utcunq; uidentur præfracti, spes est fore, ut mollescant agnoscantq; pastoris legitimi uocē, subeantq; iam tandem ouile Christi Iesu dñi, quod est Ecclesia dei orthodoxa. Quod ut nobis hanc adhuc uitam mortalium agentibus contingat, omnia potens diuina faxit æternitas. Dixi.

DE COENA DOMINI

CONCIO TERTIA.

PROVIDA ET VENERANDA VETVSTAte haud immerito etiam sacra censenda maiorum nostrorum autoritas, P. R. confratresq; chariss. humaniss. dignissimiq; auditores ceteri & domini, prouida, inquam, illa ueneradaq; maiorum nostrorum authoritas, perinde atque olim omnia prudenter sapienterq; prouidit ordinauitq;, in hac Ecclesia sancta Metropolitana Pragensis: Ita & orationem ad Clerum latinam habendam, & id quidem singulis annis futuris, perpetuisq; temporibus, in cōmemoratione coenæ nouissimæ seruatoris nostri domini Iesu, quæ per orbem Christianum a fidelibus Christi hodierna die sedula sacratissimaq; religionis pietate recolitur, habendam, inquam, latinam ad Clerum orationem prouide ordinauit, sane prudenterq;, cū non per quēlibet, uerū per hominē plenissi- Statutum Ecclesiæ Pragen̄.

plenissimę autoritatis,quo pondus dicendis,non se-
cus quam ab oraculo quodam proditis constaret,
nempe per ipsum Reuerendiss. Ecclesiæ huius san-
ctæ Archiepiscopum,qui pro tempore fuerit(penes
quem rerum omniũ summa totius uniuersęq; Dioce
sis Pragensis pleno iure esse dinoscitur) id fieri uolu-
it, si per id temporis præsens fuerit, sic equidem sta-
tutis Ecclesię huius sanctę prouisum, cautumq; legi-
mus habemusq;, Quem iam ut tandẽ aliquando ha-
beamus uideamusq;, faxit illa diuina æternitas,ora-
mus. Quæ oratio hodierna die ad Clerum eo dili-
gentius prosequenda est, sane quo per defectum le-
gitimi tantique præsulis, sede scilicet iniquitate tem-
porum uacẽte,fit rarius. Deum & hominum fidem,
quot quantaq; uitia per licentiam, qua (ut Comicus
inquit)omnes deteriores sumus,pullulant fiuntque?
Quamobrem cum utile tum necessarium fore existi-
mem, id ut fieret frequentius, & per eum ad quem
pertinet maxime, quod hodierna die ita (ut paulo
ante commemini)sede uacante, per me ut fieret pro-
uisum est. Prouisum equidem est, cæterũ ne parum
bene prouisum sit,uereor. Sunt eñ haud parũ mul-
ta hic, quæ distrahunt me plurimum urgentq;:Pri-
mum, locus in quo mihi dicendum est, ille celeber-
rimus: deinde quã uidetis doctissimorum hominum
hæc circumfusa frequẽtia; postremo ingenij mei mi-
hi multis modis explorata exiguitas,cum hoc,hodi-
erna.

erna die impoſito mihi, dicendi munere collata, collata inquam, etenim ut uere ita perquam ſcite feſtiuuſ canit poëta Martialis: Qui ſua metitur pōdera ferre poteſt. Quis etenim ego ſim, qua autoritate, qua eruditione, aut qua denique eloquentiæ gratia præditus, non dubito noſſe quamplurimos, non dubito undecunq; potius magiſq;, quam aut ab eruditione, aut ab aliqua eloquentiæ parte, uobis me eſſe cognitum. Vtcunq; tñ ſit, ſic uiſum eſt, placuitq; patribus, Quapropter ſi quis penſitatim hæc examuſſimq; expendere uoluerit, ut nonnunquam iumento ineptiori manticas imponi ſarcinaſque uidet, nihilo ſecius certe hoc hodierna die dicendi munus impoſitũ mihi iudicabit. Quod ſua difficultate me quanto ſtringit arctius, tanto Dei Opt. Max. auxilio in confeſſo eſt me egere impenſius, Quod in primis implorandum eſſe uideo neceſſarium, faciamque id protinus & ſedulo. Interea uero officij ueſtri pietatiſque fuerit, Digniſſimi humaniſſimiq; auditores & domini, huic conatui meo, ut norunt, ſalutari, cœleſtis gratiæ auxilium comprecari, cœleſtis inquam gratiæ, ſine qua nihil poteſt humana infirmitas, quod ego uel hoc breui Carmine faciendum exiſtimaui:

Vota preceſq; meas, audi de ſede polorum,
Magne deus potentiæ.
Dirige nutantem linguam, mentemq; guberna,
Director o pijſſime.

Digna satis referet mea mens, & grata superq́;,
Tuo irrigata numine.
Eya meis uotis adsis clemens, precibusq́;,
Dator benigne gratiæ.

Hieronymus ad Nepotianum.

Clerici unde dicũtur

Ad Clerum uerba facturus, haud abs re meoque præsenti instituto fecisse uidebor, si Christianum Ciceronem Beatũ Hieronymum sequutus, a nominis interpretatione exordiar, qui de uita Clericorũ scribens, *Clericus, inquit, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primum uocabulum suum, & nominis diffinitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Cleros autẽ græce sors latine appellatur. Ideo enim Clerici uocamur, uel quia de sorte dñi sumus, uel quia ipse dominus sors, id est, pars nostra est. Qui autem uel ipse pars domini est, aut dominum partem habet, talẽ se certe exhibere debet, ut et ipse dominum possideat, & a domino possideatur.* Hac cum erudita, tum officiosa salutariq́; admonitione, Beatissimus pater nostrum pectus pulsat, & abunde affluenterque declarat, quam magna nobis ex officio sacrosancti sacerdotij suscepto instet necessitas, summa ope inniti, totisq́; in hoc incumbere uiribus, ut uocationi nostræ sacratissimæq́; professioni respõdeamus, utq́; quod dici haberiq́; uolumus, esse enitamur, ut perinde atque cæteris officij dignitate prestamus, sic uirtutum sanctimoniæq́; lucem preferendo preeamus, luceamusque, ut ad laudandum deum patrem, qui in

coelis

coelis est, qui nos per suam gratiam huic sacratissimæ functioni destinauit, innocētia uitæ recteq; factorū exemplo, tum utriusque legis diuinæ, aliarumq; scripturarum sacrarum salutari uigilantique doctrina, quamplurimos efficaciter doceamus, cōmoueamus, accendamusq;, ut bene appositeq; serui fideles prudentesq;, super familiam domini constituti dicamur, & merito laudemur, hoc est (ut compendio dicam) ut hanc sacrosancti sacerdotij functionem pure, caste, sancteq; sustineamus, tractemus & administremus, non ignari, sustinere nos negocium, nō quodpiam terrenum, imo coeleste, sublime, uereq; Angelorum. Sacerdotium enim (ut uerissime inquit Beatus Chrysostomus) in terra quidem peragitur, cæterum in rerū coelestiū classem ordinemq; referendum est, atq; id per quā merito, quippe nō mortalis quispiā, non angelus, nō Archangelus, non quæuis alia creata potentia, sed ipse spūs coelestis, Spūs sanctus, ordinem nostrum disposuit, qui nobis, hominibus etiamnum in carne manentibus, hoc est mortalibus autor fuit & est, ut ministerium angelorum animo concipiamus habeamusq;. Et hoc est nimirum quod idem spiritus coelestis, spiritus sanctus per Malachiam prophetam innuebat dicens: Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem exquirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Quocirca duo ueniunt P.R. attente nobis consyderanda, Primum

Sacerdotium quid.

Malach. 2.

 est sa-

Sacerdotij sublimitas

est sacrosancti sacerdotij sublimitas, perq̃ religiose re uerēterq; obeunda. Alterū eiusdem sublimitatis usq; adeo eminentis casus periculosus, uehementerq; for midādus, & uel ob id iugi in memoria nobis haben- dus semper. Sacrosancti sacerdotij dignitatis subli- mitatem super terrenos ordines omnes, imo etiā an- gelorum principatus esse, quotus quisq; est qui ne- sciat, qui modo Seruatoris nostri, domini Iesu uer- ba (*quæ Ioannis xx. capi. habentur*) audierit intelle- xerit credideritq;? Nimirum ista: Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, re- tenta sunt. Quæ non ad terrenos principes, non ad angelos, non ad archangelos, sed ad discipulos suos apostolos, eorumq; successores sacerdotes dicta esse uoluit. Quibus autoritatem sacerdotalem, dignita- temq;, quę non mortalia corpora respicit, sed ad ani- mos se extendit, & pertingit ad cœlos usq;, clare de- mōstrauit, *Itē* Matth. xviij. His similia si quis diligē- ter perpendat, ista scilicet: Quęcunq; solueritis super terram, soluta erunt in cœlo, & quæcunq; ligaueri- tis super terram, ligata erunt & in cœlo, An non ad- mirandam autoritatē quandam dignitatemq; prę se ferunt declarantq; uerba hæc, quæcunq; solueritis ligaueritisque? fortasse istam, quod quæ nos inferne sacerdotes confecerimus, illa superne dominus rata habere dignatur, atque etiam sententiam seruorum, dummodo clauis non erret, pro sua infinita miseri-

cordia

cordia benigne cõfirmat. Quid ad hanc magnopere mirãdam ordini nostro diuinitus collatam gratiam, addi posse quis existimet, Illam scilicet, quod qui sursum cum deo patre in illo cœlestis glorię solio sedet, nempe Iesus Christus dei filius, instaurator orbis, seruatorq; humani generis, Ipse inquam ipse, in illo temporis articulo, dum sacrificio incumbimus, precesq; desuper fundimus, etiam manibus nostris tractari dignatur, Insuper seipsum nobis tradit excipiendum, dum inquam sacrificio incumbimus precesque desuper fundimus, etiam ne inter mortales, tunc uersari nos putamus, aut in terra cõsistere cẽsemus? An non potius euestigio, nudo animo, puraq; mente, ea conspicere quæ in cœlo sunt, & quadamtenus etiam gustare iam, ea quæ nec oculus uidit nec auris audiuit? Cuius quidem & B. Grego. in moralibus his uerbis meminit: Quis, inquiens, dubitat in illa imolationis hora, ad sacerdotis uocẽ, cœlos aperiri, in illo Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi, & unum quoddam ex uisibilibus atque inuisibilibus fieri? Pape quam magnum stupendumque miraculum, quam magna Optimi Maximi Dei erga hominum genus pietas, beneuolentia atque charitas? An non ergo P. R. confratresque charissimi, ornatissimique uiri cæteri & domini, tanta nos uitæ sanctimonia esse conuenit præditos, perinde quasi in cœlo constituti, inter

Miranda ordinis sacerdotij dignitas & gratia.

Puritas uitæ sacerdotib. necessaria.

coele-

cœlestes illas angelorum cohortes medij staremus. Quis ergo est quæso qui illinc imminere neget illum nostrę dignitatis adeo periculosum et tantopere metuendum casum, de quo in altera huius orationis parte dicturum me sum pollicitus, in quo recensendo certe non possem esse non copiosus, ultro sic undiq; affluentibus tot argumentis & exemplis, nisi ad aliud diuersum, nempe ad finē faciendę orationis, me temporis perpelleret angustia, qua urgēte orationis meę uela contrahere necesse habeo, atque quam poterit fieri breuius, id persequi. P. R. confratresq; charissimi, pastores populo dei dati sumus, facti fidelium
1.Petri.5 norma, facti ut lucerna in candelabro, ut luceamus
Matth.5 omnibus qui in domo sunt, quę est Ecclesia, ut luceamus etiam his qui extra domum sunt, ut uidentes ingrediantur, uidentes inquam, opera nostra bona,
Lucæ 12. conuersationem Christianam, sanctam, laudabilem, audientesq; uerba doctrinæ salutaris. Hoc siquidem nomine pastores populorum, sal terræ atq; lux mundi dicti sumus, obnoxij scilicet præferre facem, illuminare patriam, & ex Euangelicæ sapientiæ largissimo penu proferre præberecq; cœlestis alimoniæ pabulum, quod est uerbi dei uitale semen, atque ad
Ezech.34 hunc modū infirma curare, derelicta uisitare, dispersa quærere, confracta solidare, & quod stat enutrire. Quod si uia uirtutum, sanctimoniæ, innocentiæq; et recte factorum neglecta, per mundi sensuumq; abru-

pta de-

pta deuiauerimus, tunc minime ex sacerdotio digni-
tatem, quinimo magis ueriusq́ crimen maculamq́
indelebilē referemus, Obseruamur etem̄ miseri ob-
seruamur, Adde huc, quod exactissimam omniū red
dituri sumus rationem, quantoq́ pluribus prælati su
mus, tanto plures lædimus & longo interuallo alijs
grauiore reatu peccamus, ubi peccamus. Quod rerū
omniū conditor deus ostendere uolens, Leuitici iiij.
mandauit pro peccato sacerdotis tantū, quantū pro
uniuerso populo sacrificium offerri. Quod quidem
quid aliud significat, quam sacerdotis uulnera tanto
maiori medicamento atq́ auxilio indigere, siquidem
tanto, quanto simul uniuersi populi uulnera indigēt.
Quod certe haud immerito dictū existimari debet,
Tanta siquidem dignitatis sublimitas, tantam secum
periculi molem trahit. Enimuero perinde atque sua-
ue honorificūq́ fuit audire: Vos estis sal terræ, Vos
estis lux mundi, Qui uos audit, me audit: Ita minime
amoenum erit, quinimo perquam durum, sustinere
hanc uocem domini nobis dicentis: Atqui ego uos
delegi ex omnibus tribubus terræ, propterea uindi-
cabo in uobis impietates uestras. Et hoc est nimirum
quod seruator noster cum dolore & toties repeten-
do dicit: Vę uobis scribæ & pharisæi. Atq́ etiam ex
hac uerborum imagine liquere potest, non aliorsum
spectare uerba Diui Hieronymi dicentis: Non est
facile stare in loco Petri & tenere cathedram Pauli

Sacerdotum peccata grauiora quam aliorum.

Matth. 5. Luc. 10.

Matth. 23.

cum Christo regnantium. Plurima id genus sciens ui tandę prolixitatis gratia prętereo, quæ nos respiciũt, & recta petunt, quæ nobis necessario in animo habenda sunt semper, imisque infigenda sensibus, ne tanti mali tam periculoso dispendio, obnoxij uideamur, aut uerius simus, neue per nostra cõmerita ita æterno inferorum carceri iusta domini sententia deputemur. Ergo propterea P. R. confratresq; charissimi, sedulitate multa, cura deniq; et studijs omnibus adnitendum est summaq; opera danda, ut uocationi nostræ respõdeamus, quod dicimur diciq; uolumus ut simus, uera, germana legitimaq; Christi apostolorũ successio, gens sancta, populus acquisitionis, uasa ad laudem & honorem dei sanctificata, ut simus bonus odor in omni loco, ut simus fide fundati, charitate armati, humilitate protecti, omni denique uirtutum genere conspicui, ita ut digne rerũ omnium conditoris dei cantemus gloriam, prædicemus magnificentiam, potentiam clementiamq;, atque ita demum ut unigeniti filij sui domini Iesu cœnam nouissimam, passionisq; eius memoriam fructuosissime recolentes, eo uirtutum sanctimoniæq; apparatu instructi adeamus peragamusq;, ut sacrificium nostrum domino sit acceptabile, ut digne tandem meritorieq; pro Ecclesia sancta dei, omniq; eiusdem gradu, pro pastore nostro in terris uniuersali beatissimo Papa, pro Serenissimo longeq; clementissimo Rege nostro do-

mino

mino domino Ferdinando oremus, exoremusq; Ecclesiæ & regno pacē Serenissimo longeq; clementissimo Regi nostro Reginaliq; Maiestati cū eorū prole chariss. nobisq; &c. Quid nobis? Quin sacro imperio, quin tot Regnis, quin tot Ducatib. tot Comitatibus, tot deniq; dominatibus optatissimam longam uitam cum omni fœlicitate coniunctam, Serenissimo multoq; clementissimo Regi nostro gloriosam semper ex hostib. uictoriam, subditorū ueram, debitam, promptamq; obedientiam et amorem, Victoriam inquam, ex hostib. speciatim Mahumetistarum Turcarumq; immanibus beluis, ecclesiæ Christianę perduellionibus, gente omnium scelerū ac flagitiorum genere cōtaminatissima, bellis internecinis Christianorum adeo dedita, adeo sanguinis Christiani sitibunda, ut tametsi toties sanguine Christiano fuerint repleti, nunq̄ tn̄ satiati, quin semper sitiāt, siti enterq; urgeāt et grassent. Faxit diuina maiestas, gēs illa ita immanis, ita barbara, ita scelerata, ita nobis inimica, & (ut semel dicā) ita nomini Christiano infensa, iam tandem gloriose uicta et superata pellatur ꝓpellaturq; ultra Hellespontū, unde ad nos malū attulit pedē, ne ita misere semper Christianorū insultet ceruicibus. Sed uereor ne merito hæc patiamur, neque digne atq; etiam iuste corripiamur, quia pro peccatis nostris, quæ in Christianismo aucta sunt, ita excreuerunt, ita exundant & eo processerunt, ascen-

derüntq;,ut prope iam nō sit ultra quo possint. Iam etenim proh dolor refractis reuerentiæ claustris, omnem pudorem absterſimus, omnia uerecundiæ repagula discussimus. Quidquid unquam apud Ethnicos fuit auaritiæ, quicquid ambitionis, quicquid luxus, quicquid fastus, quicquid tyrannidis, quicquid sycophātiarū et Thrasonismi, id imitamur, æquamus, (proh dolor) & uincimus. Agite dum conferantur *primordia nascentis ecclesiæ*, cum istorū temporum moribus, & uidebimus certe ita ut occasus ab ortu nos discessisse mutatosque ab illis. Sed interim hæc missa faciamus, maiora siquidem sunt, quam ut hic obiter de his loquamur, reuersique ad rem institutam, oremus nobis, tum omnibus in Christo fidelibus totiq; Christianismo, Christianam charitatem, unitatemq;, mandatorum Dei custodiam, malorum detestationem, & ab his auersionem, in bono perseuerantiam augmentumque salutare. Siquidem his copijs, hoc apparatu & machinarum genere, illas ecclesiæ catholicæ uniuersæq; reipublicæ Christianæ nocentissimas pestes, sectas, schismata, hæreses, fractum conuulsumq; iri, & utcunq; ab unitate orthodoxæ fidei auersos homines rursus commodius faciliusque tandē reduci posse crediderim, maxime nunc ita sancte in hoc inuigilante Sereniss. longeq; clementissimo, & merito optimisq; rationibus etiam Christianiss. dicendo, Rege nostro domino D. Ferdi-

nando

nando &c. illi in eo ut in aliis diuina opem ferēte gratia, quę suos nō deserit, tametsi iactari patiat. Eadem aderit et nobis, si tales modo fuerimus, quales ipsa diuina gratia nos esse uult, quales esse iure debemus tenemurq;, si ita esse ut dici Christiani esse uolumus. Quod fiet certe, si ne in uanum eandem spiritus sancti gratiam sumpsisse uideamur, laborauerimus, si ut filij lucis ambulauerimus, si denique nemini ullam offensionem dederimus, cum primis & maxime nos, P. R. confratresq; charissimi, ad quos iste hodiernus est sermo, nos inquam, si sacrosancti sacerdotij dignitatem Christiana pietate, autoritatem uitæ puritatæ exęquauerimus, si deniq; non uocabulo solo aut uerbo (uerba enim deficiētibus factis erubescunt) quinimo magis ueriusque, si uitæ sanctimonia, sanaque & salutari eruditione nostræ dignitatis unctionem commonstrauerimus. In quod tota ui animi ut incumbamus, ego uestras omnium Paternitates, uniuersumq; ordinem nostrum oro, obsecroq;, atq; etiam pro persona quam in hoc actu hodierno sustineo, hortor. Quod quidem facio ob id & maxime, quia his fatalibus rerum humanarum tumultibus corruptissimisq; temporibus hęc restare sola uideo, quę nos utcunq; hominibus uenerabiles, diuinę Maiestati charos reddere possunt, hæc superesse sola quæ maxime placare dominum deum, plurimū ædificare populum, commodissime ordinem nostrum

Torteliani dictum.

instaurare ualeant. Quamobrem P. R. confratresque charissimi, ad hæc ita nobis salutaria, ita domino deo acceptabilia & populis commendabilia, ut pie ita perquam strenue amplectenda obseruandaque nos animet, fingat, formet, dirigatque rerum omnium conditor deus, qui est benedictus & gloriosus in sæcula sæculorum.

Dixi.

CONCIONVM FINIS.

LIBER HYMNORVM.

AD DEVM OPT. MAX. PRECATIO.

I IN TE regnator coeli speramus, adesto,
M Mentis o assidua commoueare prece.
E Ecce feris cõfixa pater mens nostra sagittis,
A Artificis Stygij calliditate iacet,
S Surgere nec poterit, nisi tu pietate sub auras,
R Rursus collisam sustuleris domine.
V Vnica tu uitæ spes, spes & dulce leuamen
I In cunctis nobis casibus esse soles.
S Sydereo clemens rerum de culmine rector
A Aspice, & humano compatiare malo.
A Arma retunde ducis multum pallentis Auerni,
N Nos quibus in præceps imus & in Baratrum.
N Nobis defueris tu si protector, iniqui
A Ante diem Ditis pręda futura sumus.

DE NATALI CHRISTI.

NOstri Redemptoris sacer dies fausto
Illuxit ortu, læta ter quater sancta,
Qua carnis umbra tectus, orbis in lucem
Primum nouo processit ille progressu
Salutis autor patribus retentis hei

Idem.

Identidem, uocatus, intimo affectu
Optatus, & rogatus, eya iam tandem
Lux sancta, lux foelix, sacrata lux, fausto
Illuxit ortu, tam decente, tam læto,
Nobis colenda semper, o supremus dum
Late uel ipse conditor reget, quicquid
Amplectitur suo ambitu patens coelum.

DE EODEM NATALI.

FEsta natalis Domini reducit
Hæc dies nobis, decet insonemus
Vocibus lętis, placidoq; tandem
Carmine laudes.

Hac die nobis reparator orbis,
Illa coelestis soboles tonantis
Nascitur, casta genitrice semper
Virgine Christus.

Hoc die magnum referendo mundo
Gaudium coeli cecinere summo
Gloriam patri placidamq; nobis
Agmina pacem.

Hanc diem mundus celebrat redemptus,
Cantibus, cultu, pietate, donis,
Debitos soluens meritosque templis
Pronus honores.

AD IMAGINEM CHRISTIPARAE VIRGINIS.

TAm pulchra quæso quis te dic prole parentem
Fecerit. E cœlo hac gaudeo prole parens,
Idem qui genuit me, de me est uirgine natus.
Est igitur tuus hic filius & genitor?
Olim promissus patribus iam prodijt ille.
Ille ne? tam optatus hic iacet Emanuel?
O fœlix ter & amplius, o sanctissima, talem
Et tantum cui sic est genuisse datum.

DE TRIBVS REGIBVS.

CHriste collapsi reparator orbis,
Matre de casta sine patre nate,
Cuius ad cunas hodie Magi tres
Dant sua dona.
Dona thus myrrham tibi dant & aurum,
Hisq; declarant te hominem deumq;,
Mysticis nam sunt ea dona Regum
Fœta figuris.
Solis hos duxit radians ab ortu
Stella, quam uates Balaam prophanus,
Ex Idumęo genere esse dixit
Exorituram.
Gaudium castæ puer alme matris,
Nosse quis nolit, studium & cupido?

Torserat quantum, cito te uidendi,
Corda Magorum.
Ardeat nostrum pietate sancti
Spiritus pectus puer alme faxis,
Arserant semper ueneranda quantum
Pectora Regum.
Coelitum ad sedes radiosa tandem &
Stella sic nostras animas reducat,
Vltimæ postq̄ properarit horæ
Vltima finis.

HYMNVS DE DIVO SEBASTIANO MARTYRE, CARmine Iambico dimetro Acatalect.

SEbastiane Martyrum
Porro decus non infimum,
Laudum cui præconium
Canit chorus fidelium.
Christi fidei gloriam
Vere beatam floridam,
Auctam uolens, qui uulnera
Mortis tulisti maxima.
Diuina cui clementia,
Pro passione strennua,
Fide atq; sanctimonia,
Confert beata præmia.
Quæ nota sunt insubribus,

Beata

Beata dona gentibus,
Qui peste depressi tuæ
Sensere opem clementiæ.
En sæuit insanit furit
Acerba, diue subueni
Sydus tuorum lucidum,
Virus repelle noxium.
Tristes parentum lachrymas
Luctus graues, suspiria
Et id genus quam plurima
Audi, uide eya subleua.
Precare coeli principem,
Salubris auræ originem,
Nostris leuandis casibus,
Adsit benignus & pius.
Adsit suis clientibus,
Nostras preces cum fletibus
Fac audiat tam supplices,
Quos opprimunt tantæ uices.

DE SANCTA DOROTHEA

REx deus signis radiat potenter
In suis sanctis, sophiæ ministri
Triplicis, ferte huc animum, probate &
Artis acumen.
Misit elato Dorothea scribæ

Tempore hyberno moritura uirgo,
Mira decerptas nouiter rosas, hoc
Tempore dona.

Illa si nescis Adami feraci
Misit ex horto, pietate notus
Syderum rector, teneræ stupenda
Dona puellæ.

Illius præstet fieri colonos
Hortuli Christus, prece diua nobis
Summa quum nostræ properabit horæ
Effice uirgo.

Laus deo patri &c.

DE SANCTO IOSEPH NVTRICIO DOMINI.

SPonsi Mariæ uirginis,
Eiusq; alumni germinis,
Ioseph beati scilicet,
Illuxit hæc præsens dies.
Seruiuit ipsi uirgini
Matri superni filij
Libens & ipsi filio
Incorporato tunc deo.
Seruisse fœlix hoc nimis
Spectasse contrectasseq;,
In carne sub membris deum
Rerum creatorem omnium.

Fœlicius

Fœlicius quem iam tamen,
Deum deorum in gloria,
Obstante nullo termino,
Spectat superna in patria.
Ioseph beate dotibus
Pollens tot in cœlestibus,
Clemens uelis mortalibus
Prodesse nobis quæsumus.
Deo Patri sit gloria &c.

ANGELICA SALVTATIO.

OMnipotēs AVE MARIA, o quam GRATIA abūde
PLENA dei, quæ te & cuncta perennis alit.
Est DOMINVS TECVM BENEDICTA INTER MVLIERES
TV, quot sunt, quot erunt, quotq; fuere prius.
Iste TVI ET VENTRIS FRVCTVS semper BENEDICTVS
Clemens sit nobis, CHRISTVS IESVS, AMEN.

DE CHRISTO IESV DOMINO IN MONTE oliueti orante.

TErribilis quantum mors, quamq; onerosa putanda est,
Sudans hoc Christus sanguine significat,
Si tantum dominum mortis perterruit horror,
Qui uis mortalem non premat illa lues?

IN DIE PARA- SCEVES HYMNVS.

ET satis quanq̃ pietas superni
Principis terras pateat per omnes,
Nullus id non ut sciat uniuersi
Angulus orbis:
Maius at cui non uideatur istud
Ex tot & tantis, hodie quod actum est,
Morte ubi nostræ propria resoluit
Vincula mortis.
Mors potens o mors memoranda semper,
Claua conuellens Acheronta, quin tu
Gnauiter nobis reseras superni
Atria cœli.
Plurimo luctu, gemitu, eiulatu
Flere singultire hodie & dolere
Rite debemus, memores tuorum
Christe laborum.
Rursus at nostrę memores salutis,
Et tua nacte pietate sola,
Multa debemus tibi personare
Munia laudis.
Laus honor uirtus, decus & potestas
Ergo sit semper tibi scite mundi
Conditor, tandem reparator atq;
Optime rerum.

AD IMAGINEM CRVCIFIXI.

O Amor, o pietas ingens, o cuncta regentis
In genus humanum sollicitudo dei.
Huc oculos conuerte tuos, quin dirige mentem
Huc mortalis homo compatiensqꝫ dole.
At tu tanta tuo passus sic pro grege clemens
Aspice balantes o bone pastor oues.

ALIVD.

CVi cœli ciues, cui regia militat omnis
Aulæ cœlestis, quem colit omne quod est.
Ille poli terręqꝫ sator rectorqꝫ redemptorqꝫ
Humani generis, qui creat omne quod est.
Factus homo, propria pietate operando salutem,
Artificem fraudis ultus & insidias.
Sic utraqꝫ manu, pede sic perfossus utroqꝫ,
In cruce pro nobis triste pependit onus.

DE DIE RESVRRE- CTIONIS DOMINICAE.

SAlue festa dies toto uenerabilis æuo,
Terrigenis qua non lętior ulla fuit.
Qua de morte resurrexit post cuncta peracta
Iussa patris Christus, ipsa salus hominum.
Qua elisit portas & claustra Acherontis auari,

Qua

Qua tria tartarei contudit ora canis.
Qua sęuum rigidis strinxit Plutona cathenis,
Et tulit a Stygijs ampla trophęa uadis.
Qua uolucris saxi non Sisyphus ardua sentit
Pondera, nec Ticium dira fatigat auis.
Qua sitiens fugientes Tantalus arripit undas,
Ponit & ardentes qua Eumenis ipsa faces.
Tantalidum uas pertusum qua continet undas
Christe deus miseris quam placet ista quies,
Olim clausa patet iam magna ianua coeli,
Multo quam subijt cum grege primus homo.
O foelix o lęta dies, o sancta beataq;,
Exorta est qua non lętior ulla quidem.
Ecce crepant cantu, plausu risuq; iocisq;
Ingenti & satagunt omnia lęticia.
Ipsa resurgenti congaudent astra nitore,
Gramine terra uirens, sylua nemusq; comis,
Garrula auis cantu, coelesti lampade Phoebus,
Officijs tandem cuncta creata suis.
Quas genus humanum grates, quæ gaudia debes
Eya redemptori: res equidem acta tua est.

AD D. STANISLAVM.

ORbe sub arctoo sanctum & uenerabile numē,
Præsul Sarmatici gloria rara soli.
Stanislae dei martyr, miracula, mores

Et ui-

Et uitam cuius, nouit uterq; polus.
Qui coelum meritis ornas, Plutonis auari,
Qui ſpolias precibus triſtia tecta pijs.
Magna tuis ſpes & decus & tutela Polonis,
Et qui te quærunt aura benigna reis.
Nemo tuas unq̃ fruſtra proſtratus ad aras
Creditur auxilij depoſuiſſe preces.
An neget eia tibi quicquam deus ipſe, uolebas
Intrepide tu pro cuius amore mori?
Diligit ille ſuos, & pro ſe quoſq; labores
Inſumptos penſat, retribuitq; pius.
Ecce tuos culpæ moles & ſarcina dura
Prægrauat, & Stygijs territat uſq; uadis.
Sæpe uocate tuis adſis, & militis orci
Fortiter hoſtiles protere ſancte dolos.
Non patiare pater ſanctiſſime, rector Auerni ut
Eheu de nobis ille triumphet atrox.
Effice nos tutos meritis precibusq; beatis,
Nequicquam doleat ſe inuigilaſſe Draco.
Effice & ut tandem uitæ poſt ultima ſemper,
Coeleſtes tecum conſpiciamus opes.

DE SANCTIS PATRONIS VERSV IAMBICO.

TErram, polos mare, & omnia
Quæ mundus iſte habet, ſua
Qui condidit deus pater

Magna nimis potentia,
Qui nos creauit primitus,
Tandem redemit funditus
Pessundatos, huc cœlitus
Delapsus arce syderum,
Hic quum dator sit gratiæ,
Omnisq; sanctimoniæ
Coli in suis sanctis amat,
Implet suo quos numine.
Laudes quibus si debitas
Dulci canat quis carmine,
Magnæ dei potentiæ
Neget quis id gratum fore?
Libenter ergo milites
Colamus illos cœlites,
Cultu pio & reuerentia at
Nostros patronos plurima.
Hos deprecemur supplices,
Nostros patronos martyres,
Adesse se inuocantibus,
Prodesse supplicantibus.
Hos nanq; sanctos martyres
Deus patronos & duces
Nobis dedit, simus quibus
Vt tuti auerni ab hostibus.
Vt nos iuuent dum uiuimus,
Nostra ut suis ossa ossibus

Beent

Beent, ad ultimam diem
Iungant ut & cœlestibus.
Æterne sit deus tibi
Æterna laus & maxima,
Nobis patronos optimos
Hos qui dedisti & tam pios.

AD TABELLAM EORVNDEM S. PATRONORVM.

HI sunt nostra quibus lætatur terra patroni,
Hi sunt spes quibus est nostra reposta, dei,
Hi bene uiuendo moriendoq; continuare
In cœlo æternos promeruere dies.
Ante deum nostram qui sedulitate salutem
Procurant, fida & auxiliantur ope.
Ossa beata sub his quorum deposta quiescunt
Tectis, quæ longa iam senuere die.
Vtq; uides senio iam magna ex parte fatiscunt,
Et fuerint propere ni releuata ruent.
Ergo manus adiutrices extende benigne
Lector, ut hoc rursus instauretur opus.
Non perdes diuum quicquid pro laude repones,
Quas dederis pro dijs semper habebis opes.

AD SANCTVM SPIRITVM.

Spiritus alme ueni superæ de sedibus aulæ,
Pectora nostra rigans, spiritus alme ueni.
Spiritus alme sinu patris pariter genitiq;,
Ad nos procedens, spiritus alme ueni.
Spiritus alme ueni, radiorum luce corusca
Purificans mentes, spiritus alme ueni.
piritus alme ueni, roraq; rigaq; foueq;
Os, animum, pectus, spiritus alme ueni.
Spiritus alme ueni, sermoni uerba daturus
Digna meo tandem, spiritus alme ueni.

DE S. MARTYRIBVS.

Martyrum turbæ numero decenti,
Milibus denis resonet per orbem,
Plebs pias laudes meritosq; templis
Soluat honores.

Qui deo pura sine labe mente,
Victimas sese placidumq; sacrum,
Non iter durum necis expauendo,
Exhibuere.

Martyrum pulchrum decus et triumphus,
Est ab occasu croceos ad ortus
Cognitus, tantis micuere signis
Tempore agonis.

Christus humani generis redemptor,
Dum crucis mortem paterentur, his &

Pluribus

Pluribus tunc non radiando signis,
Vltima clausit.
Principes harum celebres cohortum
Marce Alexander, simul & beati
Vocibus nostris precibusq; adeste
Hermolae Achati.
Laus tibi rerum pater & creator
Omnium, iusta ratione cuncta
Qui regis, coelo residens in alto,
Trinus & unus.

AD SANCTVM PETRVM APOSTOLVM.

SPlendor apostolici radians & stella senatus,
Ianitor æthereæ Petre beate domus.
In quo Ecclesia stat firme fundata, cuiq;
Ipse suas Christus pascere iussit oues
Eia age sume pedum, coeli quo claustra relaxas,
Et circum sanctum fer tua septa pedem.
Ecce lupus dentes distrinxit & ambit ouile,
Turbamur misere, protege pastor oues.

DE LACHRYMIS SANCTAE MARIAE MAGDALENAE.

FOelix peccatrix lachrymarũ imber pius omnes
Cui infecta sordes abluit ex anima.
Foelices lachrymæ, suspiria sancta, capilli &

Oraq; de tactu facta beata pedum.
Eia lauando pedes quantam tergendoq; culpæ
Est uobis molem dissoluisse datum?
Peccatrix fuerat, domini fecistis amatrix
Vt sit, fœlices ter quater o lachrymæ.

PRECATIO AD DEVM IN PRIMO INGRESSV IN *domum habitandam.*

PRecor deus pater creator omnium
Prece intima seruus parum dignus licet,
Subire faxis me domum istam, te auspice
Fauente, fœlici beatoq; omine,
Ibi tuo in timore sancte uiuere,
Orare, te laudare ibi, tibi psallere,
Et in quiete posse quod restat meæ
Ætatis hoc totum tibi consumere.
Auerte ab hac quicquid mali est & noxij,
Hinc languor, ægritudo, morbiq; exulent:
Virtus, honor, fœlicitas, & sanctitas
Adsint, item membris amica sanitas,
Et charitas, benignitas, concordia,
Astrea, pax, amor, salus, tum deniq;
Professione Christe sat dignum tua
Est quicquid: at scelus nocens hinc procul, procul,
Et crimen absit, absit omne scandalum.
Absint sacræ artes carminum ualentium,

Flammæ

Flammæ hosticæ absint, & rapaces Harpyæ,
Et amplius restat mali quicquid, simul
Id arceatur & procul fiat tua
Cura fideli, tutor & pater pie.
Ibi nil nisi gratum & placens fiat, tibi
Placere posse prima nam tibi & maxima
Cura est, meum modo tu ratum & gratum effice
Hoc uelle, sancti spiritus tui sacro
Illo, uelis quæso, Alpha & o, munimine.

DE DIVO CHRISTOPHORO.

NObile pondus erat Alcidę machina cœli,
Inter & ęrumnas dignior ille labor,
Maior sed cœlo terris & quicquid ubiq; est,
Impositus scapulis sarcina Christus erat.
Amphitrionade uictori herbam dato, cernis
Esse tuis maius uiribus istud opus.
Magnas tecum Athlas uires si iungat ad istud,
Ambo non certe sufficeretis onus.

AD MATREM VIRGINIS MATRIS.

ANna parens fœlix, numen clemensq; piumq;,
De propria & gnatæ prole beata parens.
Rite beata parens gnata, atq; beata nepote,
Multa potens gnata, multa nepote potens.

Quis

Quis putet a gnata quicquam tibi posse negari,
A gnato gnatæ aut usq; nepote pio?
Ipse nepos auiam, matrem hæc q; semper honorat
Creditur, hoc quia phas iusq; piumq; iubent.
Eia age multa potens gnata, quin multa nepote,
Clementi nostras aure capesse preces.
Defectus siquidem nostra atq; pericula nosti,
Adsis o clemens, atq; beata parens.

AD DIEM ASSVMPTIONIS GLORIOSAE VIRGINIS.

Mira coelestis soboles tonantis
Christus ad coelos hodie parentem
Virginem magno comitante diuum
Agmine sumpsit.

Sumpsit et supra solium ad paternam
Dexteram fecit sedeat uerendum
Sydus ut lunæ radiansq; multo
Lumine Phoebus.

Gaudijs quantis hodie uniuersi
Coelites dulci cecinere laudes
Carmine, o quantum sonuere plena
Æthera plausu?

O decus nostri generis perenne,
O decus coeli geminiq; mundi,
Virgo ter foelix, quater & beata
Iure uocanda.

Ecce

Ecce iam ſuprema tenes olympi
Regna, iam gnati lateri ſacrato
Iuncta, iam ſummo ſolio recumbens
Aſtra gubernas.
Ah potes quid uis, memorare Chriſtus
Quur tibi tantum uoluit licere,
Quur ſibi matrem fieri, tuis ſis
Aura ſalutis.
Sis tuis clemens petimus & omne
Quicquid indignos facit eſſe Ieſu
Ignei regina beata coeli,
Dilue uotis.

AD FIGVRAM ASSVMENDAE IN COELVM DEIparæ uirginis.

FOelix parens & uirgo quam mirabilis
Aulæ ſupernæ incola o ſpectabilis,
Rogamus illic eſſe placatum & pium
Nobis Ieſum filium uelis tuum.

AD VIRGINEM MATREM.

SVmmum terrigenis decus o ſanctiſſima ſalue,
Quæ ſine labe nites, noſter honos & amor.
Salue noſtra ſalus, mater digniſſima Chriſti,
Salue lux ſuperi regia uirgo poli.
Syderei celebrant quam ſemper numina regni,

Militat angelicus cui (sacra turba) chorus,
Thuricremas genus humanum cui cantat ad aras
Mellito cantu,non sine laude preces,
Cuiq; Camenalis semper mansura reponit
Carmina,Pierio tincta liquore chorus.
Si te Parthenius nosset pia uirgo poeta,
Arma ducis Phrygij qui canit ipse Maro,
Ille tuas quanto.cecinisset carmine laudes
Plenæ *diuino numine parth*enices?
Diceret ut dixit: redeunt Saturnia regna
Iam redit & uirgo,iam noua progenies.
Laurigero solam caneret te dulcius œstro
Illius limes propositumq; fores.
Vnde uenit Titan,& nox ubi sydera condit,
Vnde uenit Boreas,Auster & unde uenit,
Hoc duce nota fores cœlestis ianua regni,
Et genitrix summi digna reperta dei.
Tu pia tu clemens, tu spes,spes unica uitæ,
Præsidium,portus,certa medela,salus.
Relligionis apex nostræ tu splendor honorq;,
Summi diua parens intemerata dei.
Virgo eadem genitrix, eadem quoq; filia celsi.
Sponsa dei titulis facta beata tribus:
Gloria Christicolis,aulę cœlestis honestas,
Altithroni mater glorificata dei.
Respice mortales oculis pietatis & ante
Esto patrona tuum sedula filiorum.

Omnia

Omnia nanque potes, te nam colit & ueneratur,
Filiolus matrem debet ut ingenuus.
Quid memorem nostros defectus optima nosti,
Adfer opem miseris, poscimus adfer opem.

AD EANDEM GLORIOSAM VIRGINEM

O Parens summi ueneranda regis,
Quam chori semper celebrare celsi
Gestiunt, & se studio uicissim
Vincere certant.
Cui caput stellis fabricator orbis
Vestit, & sacris penitus subacta
Sint ut effecit pedibus bicornis
Lumina Phoebes.
Sub tuae fessos pietatis alas
Quae uocas omnes, petimus beata,
Nos tuis sacris miseros ocellis
Aspice mater.
Nos tibi blandis aue consonamus
Vocibus semper, quoties ab Indis
Phoebus aut surgit cadit aut sub undas
Rursus Hiberas.
Nam tuae coelos pietatis aura
Transilit, sedes hominumque complet,
Inferi multum furiosa regis
Iura coërcet.

Eia sis nostræ medicina culpæ
Virgo, ne damnet, genitum precare,
Quod nisi prorsus facias, subimus
Limen Auerni.

AD D. LVDMILAM.

LVdmila amica ducis nostri matrona beata,
Foelix pro Christo uerbera passa necis.
Aurea cœlestis sub tecta recepta palati,
Gaudes æternis iuncta perenne choris.
Vnde tuis spes surgit & ingens gloria Boemis,
Quorum patrona certaq; facta dea es.
Per meritum uitæ, mortem sanctamq; rogamus,
Ante deum nostris sis medicina malis.

HYMNVS AD EANDEM B. LVDMILAM.

DIgno canamus carmine
Laudes beatas Ludmilæ,
Cuius dies præsens adest
Nobis colenda plurime.
Nobis reducit annua
Hæc Ludmilæ solennia
Culto colenda debito
Dies in omni sæculo.
Hæc passionis est dies,

Æterna

Æterna Ludmilæ quies,
Qua uenit a rege ætheris,
Post exitum uitæ breuis.
Tormenta perdurissima
Perpessa mater Ludmila,
Rogamus usq; gens tua,
Beata fer suffragia.
Vitæ fluentis in uia
Succurre mater Ludmila
Succurre mortis tempore,
Egebimus dum maxime.
Exaudias decet tuos
Mater benigna seruulos,
Qui te colunt & prædicant,
Qui te salutis spem uocant.
Deo patri sit gloria &c̃.

AD D. VENCESLAVM.

DVx patriæ splendor nostræ gentisq; columen,
Dux bone, dux pie, dux Vencesilae sacer.
Dux nostri tutela soli gentisq; Boemæ,
Et pater & patriæ stella serena tuæ.
Ardens quem uirtus ad lucida tecta tonantis
Euexit patrij de regione soli.
Euexit sed post insignia martyris, & post
Cuncta domata prius quæ mala mundus habet.

Egregium nobis te ſors diuina patronum
Præſtitit,o gentis ſit tibi cura tuæ.
Humanæ peſtes nos & fera monſtra fatigant,
Sedibus infernis eiaculata lues.
Ambitio,luxus,liuor,fraus,æſtus habendi
Infinitus,opes,ira uorago doli.
Hæc & plura graui nos obſidione fatigant,
In Stygios animas præcipitantq; lacus.
Auxilio nobis,uirtuteq; maſcula adeſto,
Hoſtibus his etenim ſuccubuiſſe mori eſt.
Tu decus in terris nobis & gloria princeps,
Præſidium,portus, certa medela,ſalus.
Non minus in cœlis noſtras ſanctiſſime præſes
Res obeas petimus,iudicis ante thronum.
Iudicis ante thronum,precibus deterge beatis
Certam noſtræ animæ crimina perniciem.
Vt poſt corporeos ſenſus mox mole ſoluta,
Mens uolet in cœlum carnis ab hoſpitio.
Carnis ab hoſpitio ſuperas referatur in arces,
Authorem noſcat facta beata ſuum.
Militet ipſa ſuo domino cum principe Chriſto,
Militet ipſa deo,lux & imago dei.
Non tibi paruus honor fiet,dum regis in aula
Ante thronum domini cum duce uulgus erit.
Maior erit maior quo turba ſequetur euntem,
Plurima turba petit,quo ualeamus age.
Interea meritas in terris nos tibi laudes

Pangemus

Pangemus nostræ sancte pater patriæ.
Atque tuas semper digne exornabimus aras
Munere multifluo, lumine, thure, sono.
Hic ubi lucidulis fabrefacta sacella lapillis
Seruant mortale quod fuit ante tui.

ANNO DOMINI M CCCC. IIII. Kalendas Octobris interfectus est sanctus Vencesslaus dux Boëmiæ scelere fratris sui Bolesslai sæui.

AD S. MICHAELEM.

SPirituum princeps, hospes Michaël paradisi
Infernę domitor Imperiose domus.
Defer ad ætherei clemens heus principis aures,
Humanę mentis uota, piasque preces.
Hostis ab insidijs, quem præfers ense tuere
Viuos, extinctis da pius hospitium.

AD S. VRSVLAM

VIrginum salue numerosa turba,
Trux Scythæ quas gens nimium furenti
Vndecim gratas trucidauit ausu
Milia Christo.
Ante præsertim faciem superni
Regis o tanto grege septa uirgo,

Tu pia

Tu pia & clemens, bona cuncta poſce
Vrſula nobis.

Plus tamen nobis alijs uirago
Diua tu debes, recubat ſacratum
Cuius hic corpus, miſeris adeſto
Sancta, benigna.

Sub tuum patrocinium clientes
Currimus magno miſeri reatu,
Sis pia & clemens, petimus benigna
Auxiliatrix.

Laus deo patri &c.

AD S. APOSTOLOS SIMONEM ET IVDAM.

VOs ego rite colo diui Iudaq; Simonq;,
Adſcriptus uobis ſemper & uſq; cliens.
Adſitis uotis igitur precibusq; benigni,
Bina duodeni lumina clara chori.
Vos quibus excrucior morbis miſer ecce uidetis,
Fluctuat & quantis mens mea feſſa malis.
O tantos agedum diui releuate labores.
Ægraq; de morbis ſingula membra ſuis.
Cedet uis morbi, cedent quicunq; dolores,
Qui mea perduro membra labore grauant,
Veſtra ubi cœleſtis diui medicina patroni,
His fuerit noſtris addita uulneribus.
Quin ſimul illa quibus teneor diſſoluite quæſo

Vincula peccati quæ mea corda premunt.
Impietate deum multa dominumq; patremq;
Improbus offendi, desidiosus homo.
Conscia mens facti cruciat læsisse tonantem,
Cum bonitate deum, tum pietate patrem,
Id cruciat porro, Lapso succurrite tandem,
Et placate pij numina sancta dei.
Offendi grauiter, fateor, superate rogando,
Cum prece tum sanctę sedulitatis ope.
Culpæ quicquid habet cor nostrũ, quicquid iniqui,
Vestrarum hinc absit sedulitate precum.
Adsit quæ cœli me gratia ducat ad astra,
Absit at hinc longe quicquid ad ima trahit.
Efficite hæc rata uota petit gratissima cœlo
Numina mens multo fessa labore mea.
Pro meritis ego nę uobis & munere tanto,
Summa pię semper præmia laudis agam.

ALIVD.

MVnere Apostolico celebres Iudasq; Simonq;,
Martyrij palma dignus uterq; coli.
Discipuli Iesu, duodeni bina senatus
Vasa, Euangelij seminè plena dei,
Quæ dispensantes populis per climata mundi,
Iunxerunt turmis millia multa sacris.
At tandem post multa peracta in Persida missi,

Messis ubi Christo multa metenda fuit.
Mille magi technas ubi tot caco dæmon & ipse
Versutas sanctis struxerat insidias.
At uirtus sanctis non defuit omnia contra
Tentamenta, simul dæmona, siue magos.
Inuidia rumpebantur dæmonq; magiq;,
Nomina dum Christo milia tanta darent.
Hinc iussere suos quicquid crudeliter ausos,
Sanctos mox sæua perdere cede uiros.
Quæ postq̄ scelerata cohors mandata peregit,
Sacrilegas diuis intulit atq; manus,
Fulgura & ultrices flammæ mox impete uasto,
Qualia non unquam uisa fuere prius,
Prorupere eadem hac uelut hic periturus in hora
Sit mundus, facies tanta furoris erat.
Fracta idola, magi consumpti fulmine, ruptum &
Trifariam templum est. Laus tibi summe deus.

AD SANCTOS DEI OMNES IN ECCLESIA SVAE Præposituræ.

SAcrata cœlitum cohors,
Quibus deus frui bonis
Æternitatis optimis
Concessit in cœlestibus.
Vigent ubi tot gaudia,
Lux tanta & gloria,
Vultu e superni principis,

Chorus

Chorufcat & per fæcula
Quibus uere fœlicibus
Bonis frui & perennibus,
Hoc hoc habere eft optimam
Iuftis receptam gratiam.
Qua uos beati cœlites
Gaudetis almi milites,
Magni atq; cuncti ex ordine
Cœleftis arcis incolæ.
Vobis dicatum eft omnibus
Templum hoc, uelitis quæfumus
Pij & benigni feruulis
Adeffe poftulantibus.
Qui uos colunt & inuocant,
Laudes canunt & fupplicant,
Adefte fupplicantibus,
Prodefte uos colentibus.
Audite fupplicum preces,
O ter beati cœlites,
Fœlicis eius fcilicet
Æternitatis compotes.
Deo patri fit gloria &c.

AD D. BRICCIVM

PArum pium fannis fuit profcindere
Charum deo uita patrem fancta fenem,
Id aufus in fanctum dei Bricci facer,
Pœnas deo uolente foluifti graues,

Famæ ferens diſpendium, quanquam innocens:
Leuamen hoc ueteris fuit piaculi,
Sic quos amat purgat deus ſuos,
Sic cœtibus dignos facit cœleſtibus.
Bricci pater beate gemma præſulum,
Nequando nos & damna forte degrauent
Famę pudenda, faxis eia quæſumus.

SANCTVS BRICCIVS IN SANCTVM Martinum ſuperbus fuerat, Ideo ex Epiſcopatu per calumnias in exilium pulſus fuit.

AD EVNDEM.

QVam Nemeſis diuina ſuas ulciſcitur iras,
Quam quos purgat amat reſtituitq; ſibi.
Monſtrat plus ſatis hoc pietas irriſa beati
Martini, & Bricci præſulis exilium.
Non uult iuſta dei mens impunita manere
Obuia iuſtitiæ qualiacunq; ſuæ,
Damna pudenda tui Bricci auſus pœna fuere,
Quæ meritum præter ferre neceſſe fuit.
His abolita malis tua ſunt commiſſa, ſed illa
Porro pœna tibi gratia magna fuit.
Cenſendus fœlix eſt quem clementia ſummi
Hic punit patris purificatq; hominem.
Infœlix eſt quæ ſeruatur in ultima rerum

Tempora,

Tempora, quæ prorsus ultio fine caret.
Hæc nos scire iuuat, fac Bricci diue rogamus,
Prosit in his pietas præsidiumq; tuum.
Faxis nos eadem ne damna pudenda fatigent,
Adsit te nobis præside læta quies.

AD S. BARBARAM.

BArbara sponsa dei uirgo sanctissima salue.
Virgineæ candens gemma pudicitiæ.
Quos diuos tu non sanctis uirtutibus æquas,
Aut potius superas, digna puella deo?
Digna cui præstet Christus quæcunq; preceris,
Nimirum præstat quid modo uirgo uelis.
Ne mea uirgo uelis perturbet lumina languor,
Quo liceat studijs posse uacare sacris.
Adsis sæpe uocata mihi, sponsi per amorem,
Et clemens præsta, quod precor auxilium.

AD S. NICOLAVM.

POntifex nostro celebrande cantu,
Maximo præsul uenerande cultu,
Blandulas aures Nicolae nostris
Arrige Musis.
Nos tuos auro uideas nitentes
Milites, cultu uario decoros,
Et tibi blandos modulos canentes
Respice præsul.

Nos tibi laudes meritas ſonamus,
Nos tuum feſtum celebrem diemq;
Paruuli, magni, iuuenes ſeneſq;,
Concelebramus.
Audias ergo facilis precamur
Vota clamantum, uigiles preceſq;
Audias inquam tua teq; feſta
Vſq; colentes.

AD GARRIENTEM IN ORATORIO.

AEterna proles Chriſtus æterni patris
Olim domum hanc orationis & ſuam
Dixit, profanari uolens oſtendere
Nephas, graui uerbo ſubinde & uerbere
Perſtrinxit auſos polluiſſe, ſcilicet
Cultu colendam debito, aures arrige
Suſurro inepte, diligenter & uide,
Te ne flagellum uindicis tangat dei,
Et pellat ad tenebricoſa tartara,
Quam præſtet hos mores tuos tam perditos
Donec licet, cum id non quidem ſemper licet,
Vt arguas, diuina ſola hic cum deis
Agens, loquaris, audias & cogites.

IN ORATORIO.

PRæmia danda pijs cœlestia, sedulus atque
Supplicia expendens debita danda reis.
Admissum sermone pio hic deplange reatum
Vere contrito pectore, mente, fide
Accusa noxas, mentem compunge, litato
Imbre pio, cordis sint holocausta dolor,
Magna dei pietas toto si corde labores
Audiet, atque tuum diluet omne scelus.

BENEDICTIO MENSAE.

SVmpturi membris hæc nos alimenta caducis
Sustentaturi corpora nostra cibis,
Suppliciter nostrũ dominumque patremque deumque
Oremus, puro pectore, uoce, prece.
Oremus nostras Regum Rex maximus ille
Audiat ut uoces atque subinde preces.
Nostris apposita hæc mensis, potumque ciboscque
Sanctificet clemens & benedicat item.

GRATIAE POST ESVM.

EXpletis epulis olim cœnaque peracta,
Rex Christus, dicto haud inde nisi hymno abijt
Sic documenta dedit cœlesti dicere laudes
Pro donis nobis muneribusque patri.
Quapropter læti nos uoce animoque canamus
Hymnum pro donis muneribusque deo

Dicamus tanta rerum celeberrime rector
Gratia sit semper pro pietate tibi.
Gratia pro tanta tibi sit bonitate perennis,
Gratia pro tantis de bonitate bonis.

IN PSALMOS DAVIDIS.

DAuidis hæc calefacta deo mens sancta notauit
Carmina, sacratis sensibus irrigua.
De numero uatum nemo tam tecta retexit,
Nec dixit sensus fando futura pares.
Qui legis hæc si perpendas mysteria, uatem
Sanctiloquum dicas Dauida Psalmographum.

ALIVD.

VIncit plena deo mens Dauidis Orphea cantu,
Ille feras mulsit, mulsit at ille deum.
Ista deum mulsit quibus hæc sunt carmina Lector,
Hæc sunt Altithrono carmina grata deo.
Vis mulcere deum, uis gratum psallere carmen
Diuis, hæc recine cantica Psalmographi.

EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS.

AD FERDINANDVM ROMANORVM ET HVNGARIÆ Bohemiæq; Regem.

FERDINANDE dei Rex inuictissime nobis
Nobis & patriæ de pietate date.
Vt post mœsta olim data nubila gratior orbi
Ipse solet tandem pulcher Apollo dari,
Vtq; solet radijs nubes dispellere opacas
Ipse & consuetam reddere læticiam.
Læticiam regno Rex clementissime reddis,
Reddens iustitiam, debita iura, fidem.
Debita iura quibus, pax statq; uigetq; per orbem,
Quæ comite expendis, iustitia atq; fide.
Hinc est ut sumant animum merentia nuper
Et larga exultent omnia læticia.
Vt sperent inopes, iam longa & fessa labore
Relligio uultu ut iam & meliore micet.
Improbitas siquidem scelerum atq; licentia mussant
Sentit iam senium & uis uiolenta suum.
Et iam confusus torpet cum fraudibus error,
Armatumq; dolis pectus & omne nephas.
Iustitiæ comites castæ sanctæq; sorores
Iam lætæ & læta carmina fronte canunt.

M Verum

Verum turba grauis paci imperiumq; potentis
(Quæ noua semper amat) nescia ferre dolet,
Et Catilina dolet, fortasse auidiq; rapones,
Saluam qui patriam non cupit ille dolet.
Hi doleant, nobis non est in gaudia pectus
Sufficiens, tantæ in gaudia lætitiæ.
Viue diu fœlix Rex clementissime, uiue,
Viue diu nobis, seroq; ad astra abeas.

DE CAROLO HVIVS NOMINIS CAESARE QVINTO et Ferdinando Romanorum, Hungariæ Bohemiæq; Rege, Fratribus.

SEmideum soboles, maiorum uera propago,
Austriacæ uere germina uera domus,
Carolus imperij specimen, Regum inclyta frater
Gloria, fraterna pectora iuncta fide.
Quam fidei sanctæ causam tutantur & ambo,
Quam pure diuum numina sancta colunt!
Numina sancta colunt ipsi, rursus pia larga
Numina dant illis prospera cuncta manu.
Francorum ostendit Rex captus, Roma subacta,
Regna Bohemorum, Pannoniæq; probant.
Hinc est occiduus quicquid tenet orbis & Eous
Qua sol egreditur, quaq; subintrat aquas.

Vt pro-

Vt prope iam teneant hæc mundi lumina, quin eis
Pro meritis diui deniq; plura dabunt.
Viuant fœlices, & uincant omnia diuum
Suffulti semper gratia & auxilio.

DE FERDINANDO REGE.

Regnorum proceres, populiq; antiquior ætas
Qui memori multa mente tenetis aui,
Dicite quandoquidem ueterum conferre soletis
Magnorum & nostri temporis acta ducum,
Quo nam censendus sit Ferdinandus honore,
Aut quotus heroas inter habendus auos,
Quem tot uirtutes ornant, longæua uetustas
Profer, & annales eia reuolue tuos.
Tardior illa per ætatem, studio sed anili,
Antiquæ uersans nobilitatis opus,
Vidit & indoluit, nostras præsentia dixit
Æquant & uincunt (heu dolor) historias.
Indignans uinci, atq; palam confessa dolorem,
Hoc uetus historiæ dilaniauit opus.
Scilicet a uita & gestis, ut Ferdinandi
Quanq; legant omnes defluat historia.

SERENISS. REGE D. D. FERDINANDO ATQVE EIVSdem coniuge Regina Anna existentibus in domo Villatici hæc is sequentia duo Epigrammata parieti affixerat illis legenda.

NIl ornare magis potuit, poteritq; futuro
Haud ullo hãc nostram tẽpore piso domũ
Ista hæc quam nostri præsentia principis, ista hæc
Foelices inter sit numerata dies
Principis & non solius cum principe princeps,
Et domina & coniunx, coniuge digna Ioue,
Intrauere domum, magalia nostra, penates
Pauperis Euandri, numina tanta duo.
Numina tanta duo, terreno cum Ioue Iuno
O nimium foelix terq; quaterq; dies.
Di date propicij longos foeliciter annos
Nostra hæc Iuno suo cum Ioue semper agat.

ALIVD.

LVcida nostra domus quantũ nunc? lucida certe
Sic olim nunq̃ lætaq; lucidaq;.
Hanc nunq̃ tantum irradiauit Apollo, nec ipsa
Cynthia, fraternis æmula luminibus.
Miror ego lucem multum, quin mirot & unde,
Vnde uenit tanto lumine læta dies.

Regni

Regni Phœbus adest Rex cuius ab ore refulget
Sacrato, hoc tantum conspicuumq́ iubar.
Ferdinandus adest, maiestas principis instar
Phœbi, perpetuum fertq́ refertq́ diem.
Qualis ab aurora surgens illustrat in orbe
Omnia, purpureis Phœbus & ambit equis.
Talis maiestas de principe sacra penates
Irradiat clara lætificatq́ die.
Sit fœlix, faustumq́ simul contingat ab isto
Sydere certa mihi gratia, certa salus.

IN ADVENTV REGIS PRAGAM QVO TEMPORE Turca maximis copijs ador tus fuerat Austriam.

VEnisti tandem Rex clementissime magno
Te et regni & populi sollititante malo.
Fœlix illa dies, fœlix plaudendaq́ semper
Incolumem quæ te restituit patriæ.
Iam sperare licet melius, iam ponere & illos
Ex animo tristes terrificosq́ metus,
Crudelis nobis quos incutit ille Tyrannus,
Euersor populi Christe benigne tui.
Seruet te nobis Rex clementissime diuum
Et firmet pietas regna tua atq́ tuos.
Et tua fortunet tam singula facta precamur,

Omnia ut ad uotum stentq; cadantq; tuum
Quo tua maiestas tandem successibus aucta
De Turca referat ampla trophea truci.
Nostra hæc uota petunt, faxit rata conditor orbis,
Inclyte rex, & te sospitet usq; pius.

AD REGEM FERDINANDVM.

SI populus lamenta dolens iustasq; querelas
Fundit, & ipse tuam postulat usq; fidem.
O Rex magne, deum si non patientia maior
Esset neglecti ij conquererentur idem.

AD OPPRESSOS A TVRCA.

REspirate uiri Turcæ quos dira tyrannis
Torque ttam grauibus innumerisq; malis.
Carolus ad flatus uos cœlitus Induperator
Vindicat imperij gloria magna sacri.
Per mare per terras & inhospita multa, potenti
Victriciq; manu, qui Aphrica regna adijt.
Marte ubi iam celebres bene fortunante triumphos
Lætus agit, quem tu summe tuere deus
Faxis ut & Graias etiam fœliciter urbes
Adserat, atq; adimat exitiale iugum,
Eripiat tot regna truci usurpata tyranno,
Constantine tuum uindicet imperium,

Trans

Trans pontũ fidei tandem hunc exterminet hostem
Ad nos ille malum transtulit unde pedem.
Conantem tanta est rerum cui summa potestas
Dirige Rex Regum, uelle tuum facere est.

DE RE GALLIARVM.

QVis genius te Galle malus permouit ut ausis,
Oblitus pacti fœderis & fidei,
Pacem iterum turbare, iterum impia bella mouere,
Forsitan ut Turcæ gratificere tuo.
Inuidia infœlix macerat te Galle uigentis,
Tanta uirtute gloria & imperij.
Galle lues pœnas ausus tanti inuidiæq;,
Nam casu grauius posteriore rues.

DE HORTO REGIO
HENDECASYLLABVM.

VErnis temporibus & æstuante
Multum Apolline, sub leonis astro,
Nec non munere fructuum beati
Autumni, placidis item diebus,
Quicquid sollicitudinum & laborum,
Curarum simul & molestiarum
Fiet, huc ueniet sed inde sensim
Horum plurima amœnitate tempe,
Ibit in tenues Notos & auras,
Hic quam delicias uoluptuosas,

Lusus

Luſus, blanditias, facetiaſq;,
Garritus lepidos & elegantes
Tam riſus placidos uenuſtuloſq;
Conditos ſale melle ſaccaroq;,
Edent ſcilicet hic perambulantes,
Rex reginaq; coniuges beati.
Nimirum bene coniuges beati,
Regnis, prole, pariq; charitate.
Sanctorum ut taceam deiq; noſtri,
Cœleſtis reuerentiam fidemq;,
Æqui & iuſtitiæ tenacitatem.
Clemens ingenium, pium, benignum,
Gnarum quod deceat potentiores.
Et quid cuiq; habeantq; debeantq;
Rex cœli pie coniuges beati hi
Regnent proſperiter diu beneq;
Sani & incolumes, ſuoſq; ſemper
Fœlices uideantq; gaudeantq;
Cunctis lætitijſq; gaudijſq;
Et ſemper magis ac magis ualeſcant.

AD REVERENDVM MA-GNIFICVMQVE DOMINVM ERNE-ſtum a Slleynicz adminiſtratorem et Pre-poſitum Eccleſiæ Pragẽ. &c. digniſſimum.

Si quid

SI quid amat Musas tua magnificentia, si quid
Esse putat sacris ora rigasse uadis.
In Latio magno & Beroaldo sub duce, si quid
Vocali refert te studuisse Cheli.
Vnde tibi lepide uarians se hæc gratia linguæ
Venit, & hoc placidi mel fluit eloquij.
Quo facile in uotum uelut olim Acheloia Syren
Attrahis, atq; sequi quenq; cupita facis.
Si magni reputat, si præfert (debet ut) auro
Quas & habet gemmis hæc tua nobilitas
Musarum uigiles uel solum hoc propter alumnos
Adiuuet, & digno subleuet auxilio.
Sunt memores Musæ, uiuacia carmina Phœbi
His uitæ et gestis consuluisse datur.

AD D. SIGISMVNDVM DE HASISTEYN.

INdolis & ueræ uirtutis semina, dignos
Atq; tua legi nobilitate modos.
Sunt tua Mopsopio condita poëmata melle,
Blandicijs, salibus, tincta lepore, iocis.
Pectore de pleno tantos effundis amores
Pullulat ex uersu gratia quanta tuo.
Est patrui uirtus in te, sunt Palladis artes,
Pallas agit pectus, Cynthius ora deus.
Quæ non mella fluunt ex uerbis? deniq; quod non
Missa mihi nuper carmina nectar habent?

N O ego

O ego si possem tanto pro munere dignas
Virtuti grates persoluisse tuæ,
Fœlicem nimium me terq; quaterq; putarem,
Qua possim rogito surgat in orbe dies.

AD SVVM HORTVLVM.

HOrtule curarum lenimen, solatiumq;,
Ægrius affectæ mentis amica quies.
Deliciæ nostræ tu certe, & magna uoluptas,
Hortule odoriferis nobilitate bonis.
Quam bene te exornant uarij flores & amœnant
Pallentes uiolæ, purpurea atq; rosa,
Luthea calta thymi, candentia lilia, mentæ
Mixtaq; coricijs alba ligustra crocis.
Vt pulchre hinc atq; hinc tolluntur in ęthera pomi,
Atq; piri mixtim & cum corilis cerasi.
Vt iam quarundam rami sub pondere nutant,
Quanta hic autumni gloria patris erit.
Dulcis Iache tuos ut uestit pulchre racemos
Pampinus, utq; suo subrubet uua mero.
Vt uariæ uolucres hic complent aëra cantu,
Et nasum flores spiritu odorifero.
Lympidus hic etenim Zephyris fœlicibus aër
Halat odoratas atq; ministrat opes.
Vt placide spirant uenti Boreas, Notus, Auster,
Vt leuis arboreas uentilat aura comas.

O hila

O hilares umbras quas hoc & frigus opacum
Præbent ramosæ hæ multicomæq; piri.
Mens oculi porro sic omnes deniq; sensus
Instaurant uires hic recreantq; suas.
Defessum curis edacibus atq; labore
Me quoties reficis, restituisq; mihi.
Poenitet impensi nunq̃ insumptiq; laboris
In te, nanq; places tam bene q̃ uolui.
Alcinous sibi quos habeat plantauerat hortos
Qualescunq; licet Hesperidesq; suos
Tu mihi parue licet sis hortule Thessala tempe
Hortule confugium solatiumq; meum.

DE STRAGE PER TVRCAM IN REGNO HVNGARIAE FACTA Anno domini M. D. XXVI.

ECce iacent proceres, & Rex & nobile regnum,
Nuper Pannoniæ nobilitasq; potens,
Ante uelut Rhodos olim, bimarisq; Corinthus,
Ante uelut misere Græcia tota simul.
Et nobis iam tam crudeli ex hoste pericla
Instant, quæ parui non facienda reor.
Nanq; sitit nostrum crudeliter ipse cruorem,
Sæpius impletus, sed sitit usq; tamen.
Facta probant ausum, uires, rabiemq; sitimq;
Sanguinis & rerum cognita facta nimis.
Quis cohibere queat lachrymas & sistere planctum,

In tam funesto terribilicꝫ malo?
Discors mens hominũ, superumcꝫ offensa deorum,
Causa potest tanti & creditur esse mali.
Hæc possunt debent & pectora nostra mouere,
Si modo quid sensus pectora nostra tenent.
Hæc agitanda forent multumcꝫ diucꝫ citocꝫ,
Qui sapit haud apto tempore sero sapit.

MARTINALE SAPPHICVM CVM ADONICO.

PRæsulis sancti redeunt sodales
Festa Martini, celebranda nobis,
Postulat largam Cererem dies hæc,
Vina dapescꝫ.
Postulant lætos animos beati
Festa Martini, procul ad seueros
Hinc abi quisquis tetrica intumescis
Fronte Catones.
Impiger dulci cyathos Lyeo
Eia quid cessas male sane? reple
Rursus & tandem repetens corona
Vina minister.
Ista si nescis peragenda sic sunt
Mentibus lætis, Bromio iuuante
Festa, quid cessas male sane? reple
Pocula uino.
Interim pallet quibus arca nummis,

Dediti

Dediti patres opibus parandis,
Qui parum large celebratis almi
Sacra Thyonei,
Largiter nobis tribuatis ut nos
Gaudijs, cantu, dapibus, Lyeo,
Ista soluamus peragamus atque
Humida sacra.

DE LIVORE AD MAGISTRVM IOANNEM HAZENBVRGIVM Decanum Lithomericensem, Iambicum Trimetrum.

Liuor dolet, uidisse quiddam oportuit
Audisse uel, suis beatam dotibus
Fortasse uirtutem, miser uidet suum
Iugem atque crudelem dolorem, & maximum
Heheu ut gemit uisa ut gemit, tandem & dolet,
Orco uelut damnata plebs sub igneo,
Virtute uisa si dolere oporteat
Semperque tanto hoc sic perire uulnere,
Præstaret esse cæcum & obsurdescere, aut
Non esse, non profecto non, nec uiuere
Aut uiuere inter bestias, uel dæmonas
Nulla est ubi fœlicitas & inuidos
Virtus grauans quantis deus doloribus,
Tanto hoc malo liuor miser, nimis miser.

AD LECTORES LI-BRORVM LVTHERI

MVlta Luther ſcribit uera, & uaniſſima multa,
Vera ſed ut uanis poſſit ineſſe fides.
Frigidus o fratres fugite hic iacet anguis in herba
Toxica mixta fauis, eia timete, latent.
Quod ſi uos nouitas rerum atq; licentia tanta
Allicit, hoc uigiles ite Charybdis iter,
Ne uos in præceps & triſtia ſepta Barathri
Illius incautos illita ſcripta trahant.
Vt quondam ille Synon Teucros falſiſſima ueris
Miſcens incautos traxit in exitium.

IN LIBELLVM LVTHE-RI DE PVRGATORIO.

POſt tot bella Luther noſtro commiſſa ſub orbe,
Et poſt tot clades quo ruat eia uide.
Admiranda uiri certe eſt audacia, quantis
Iam quantis auſis ipſe Acheronta petit?
Vt trepidant hem iam Plutonia regna, ſed ipſæ
Eumenides etiam, quicquid & orcus habet,
Ipſum etiam nimis & Regem percellit Auerni
Hæc nouitas, ut ne uadat in exilium,
Nanq; herebi partem modo iam uictricibus armis
Deſtruxit, reliquum ſi ſuperet, bene erit.
Impetet & coelum inſuperabilis illa Lutheri
Lingua

Lingua, & erit tandem huic ultimus ille labor.

SVAE IVVENTVTI STVDIOSAE.

HEus studiosa cohors, nr̄is demulsa Camoenis
Iam toties sacris & saturata fauis,
His quoq; nunc patulas aures inflecte parumper
Ex imo fusis pectore consilijs.
Collige diuitias uenturæ dogma senectæ,
Dum tener humor adest & tua membra uirent.
Nil confide, uolant alis pernicibus anni,
Forma breui spacio non reditura perit.
Lilia surgenti ut spectas rutilantia Phœbo,
Flos nostræ ætatis, sic nitet atq; perit.
Læta iuuenta fugit, tremulo subit horrida passu
Eheu de morbis tarda senecta suis.
Multa senem plectunt incōmoda, dum noua pubes
Illa quibus releues collige diuitias.
Palladis armisonæ maturos carpe racemos,
Diuitias animi perpetuumq; bonum.
Rusticus ut superet glacialis tempora Brumæ
Quid non sustinet hic sole calente miser?
Vt tibi mollis hyems contingat, læta senectus,
Nunc sere quæ plena post modo falce metas,
Quod si segnis eris dum te uexabit egestas,
Heu quanto repetes uerba dolore mea,
Fagellus crebro uerum mihi dixerat olim

Dices,

Dices, Fagelli molliter ossa cubent.

AD PISONEM.

VEl mea Pieridum redolent nõ munera nectar,
Vel minor est modulis quã fuit ante uigor,
Muneris in precium quod non mihi signa fauoris
Vlla refers, aliud si nil, bona uerba tamen.
Es quia tu Vates Phœbeo numine plenus,
Perfusus liquidis ex Helicone uadis.
Non tamen ut tenui labentia carmina riuo
Despicias, uatis credimus esse pij.
Esto quod Aonio non stillant nostra liquore
Ora, quod & nostro est paruus in ore sonus
Est fateor, non Parnasi de culmine montis
Descendo & Daphnes fronde decorus eo.
Namq; ego Thespiadũ per amœna uireta sororum
Ingredior uates Delphica templa nouus.
Cyrrheos colles uatum dulcesq; recessus
Incipio primis passibus obterere,
Et meliora canam melior cum uenerit ætas,
Percoquet ut segetes & mea scripta dies.

AD SEBALDVM VRATISLAVIENSEM.

IAm nisi Plautinos meditabor pectore lusus,
Et placidas comicum sedulus oris opes.

Iam mi

Iam mihi quæ pridem uel tota mente petebam
Sordent, & Phœbi nil nisi plectra placent.
Sic mellita meos incendit Epistola sensus,
Ista Sebalde tuo picta magisterio.

AD PHILIPPVM PHASENINVM BONONIENSEM Phalæcium Hendecasyllabum.

DOcti & doctiloqui sui Philippi
Henricus poterit tuus Rosensis.
Vnq̃ non meminisse? certa nancꝫ
Consueuit fieri fides Rosentum,
Semper quem coluit suum Philippum,
Henricus uenerabitur coletꝗ,
Molles Cypria dum rosas amabit.

AD CAMILLVM PALEOTVM BONONIENSEM.

ACcepi legiꝗ libens quæ multa dedisti
Ad me Pieridum rite Camille decus.
Parnasi gemino de uertice missa putaui,
A Phœbo & Musis illa legendo mihi.
Quam lepido sunt hæc condita poemata sensu,
Artifici phrasi uocibus atꝗ sono?
Hæc cygnos uocis dulcedine, Achanthida & ipsam
Exæquant cantus & Philomella tuos.

O Hæc si-

Hæc silices certe rigidas & flectere quercus
Hircanasq; qu...nt, caucaseasq; feras
Talia bistonij dum manant ore poetę,
Constitit attonitis Thracius Hebrus aquis.
Bellerophonteos sapiunt hæc rite liquores,
Mire & Phœbea luxuriantur ope.
Auribus illa meis sunt succus arundinis Indæ
Sunt animò sacrum Nectar & Ambrosia.
O citreas inter seruanda poëmata frondes,
Et cilicum flores, coricíasq; comas.
Fœlix ingenij tanti bonitate Camille,
O uere Latij stella serena soli,
Hæc sunt quæ facient te perpete uiuere fama,
Inter honoratos his referere sophos.

AD IMAGINEM D. VOC CVM ROSENSEM VERE repræsentantem.

QValis Voccus erat Rosensis heros,
Olim uiuus adhuc fauentibus dijs,
Nostri Dedalea manus Simonis.
Talem prorsus & usquequaq; talem
Pinxit, tam similem, sibi nec ipse
Vt sit tam similis, uideto uiuum
Qui pridem bene noueras, an ipse
Voccus sit, magis an putandus iste.

Ad Seba-

AD SEBASTIANVM MAIVM PANNONIVM CONDIscipulum suum.

ALes Hyperboreo latium compulsa sub orbem,
Quælibet autumno tristis ab axe uenit.
Veris in aduentu remeat dum sedula partus,
Natiuo complet lætior arua melo.
Tu licet autumno latium deueneris hoc, mox
Mellitos mira perstrepis arte modos.
Qualia credibile est sub uerni temporis anno
Te canere inter aues, quod solet Athis eris.

AD EVNDEM.

DVlcia docta nisi mox & gratissima dicam
Carmina, non tanto munere dignus eram.
Vidi, pellegi, mel uisus deliciasqꝫ
Sugere uocales, Corricidumqꝫ fauos.
Talibus Euridicen mœstus defleuit ad Hebrum
Orpheus est cuius sylua sequuta fidem.
Si non gentilis, si non charissimus esset,
Sollicitus Ianum posset habere timor.
Sed non ad partes primas sic tendis honorum,
Vt Ianum uelles postposuisse tibi.
Credite Pannonij uestri iam gloria Iani,
Quæ fuit unius, illa futura duum est.

AD EVNDEM.

QVantus Pieridum cultor sis, quantus amator
Gorgoneis Maij quantus amicus aquis.
Niseosquantum uates uenereris amesq;
Phoebeas quanta sedulitate fides.
Mopsopijs condita fauis salibusq; latinis
Carmina, testantur uberiora bonis.
Quæ tibi quur roseis insidunt totq; labellis
Semper, quot uernus gramina fundit ager?
Calliope Phœbusq; tuo sub pectore clausi,
Te nolunt unquam non meminisse sui.
Semper quin stimulos cupido sub corde uolutant,
Subdunt ardenti flamina & usq; foco,
Assiduos promunt hinc Enthea pectora cantus,
Docta Cheli quercus ducere uoce feras
Non agitante deo. Quærat præcordia quisquam
Quur recitas? sacrum pectora numen agit.

IN TRIVMPHVM PELSINENSEM SAPPHICVM cum Adonico.

PLaude uictrici redimita lauro
Pelsinæ plebs, te temere irruentem
En uides hostem medio in triumpho,
Pelsina plaude.
Vrbs ab antiquo celebris honesto,

Hosti-

Hostibus uictrix toties subactis,
Diligit coeli deus & fouet te,
Pelsina plaude.
Disce mortalis miser & superbe,
Quid ualent uires popularitasque,
Quid potest urbis sapiens potensque
Disce senatus.
Qui boni tantum fieri superbo
Spiritu uultis, scelerum ministri,
Ecce lictoris bonitas sub ense
Vestra laborat.
Sunt ubi tandem furiosa miles
Verba Pelsnensi insidiosa plebi,
Funis en circum teretes lacertos
Flexilis errat.
Artium Pallas domina & repertrix
Ornat urbanos regit atque format,
Hac duce extendit qui animos ad arma
Vincit ouatque.

AD EANDEM VRBEM PELSINENSEM.

PLaudite turrigeræ surgentia moenia Pelsinæ
Plaudite doctiloquis moenia fulta uiris,
Moenia Romuleos factis referentia colles,
Seu uos bella iuuant, seu iuuat artis opus.
Surgitis exemplo septenæ moenia Romæ,

Surgite, Romulidum uosq; sequatur honos.
Sic genus Æneadum quōdam Latiumq; superbū,
Martia grauigenum sustulit arma ducum.
Cecropiæ tandem quicquid tenuistis Athenæ,
Artis & ingenij quicquid & eloquij,
Non secus arma prius galeasq; experta comatas,
Iam doctos colitis mœnia pulchra uiros.
Armis parta salus uobis seruata fidesq;,
Doctis fama uiris, uita perenne decus.

AD ARMA PELSI- NENSIVM.

SEmper erat canis hic nostris ab origine prima
Patribus, ut uetus id clare habet historia.
Verū Aquilam Induperator et arma uirumq; subin
Adiunxit iusta de ratione suam.
Sedis Apostolicæ pastor claues dedit illæ,
Testes seruatæ relligionis erunt.
Hic uerum in nostris etiam qui pingitur armis
Nobis ex hoste præda Camelus erat.
Et quoniam superos uirtus benefacta fidesq;
Tangunt, de superis Angelus ista tenet.

AD PAVLVM POLLIONEM.

ATtulit e nostro quos nobis uillicus horto
Cum pomis flores, lilia mixta rosis,

Ilos mitto tibi charissime Pollio nostræ
  Pro longo mutuæ fœdere amicitiæ.
Quę Veneri ipse tuæ dando mercabere quiddã,
  Nimirum dulci dulcius ambrosia.
Non igitur gratum dices hoc Pollio munus,
  Quod tibi tam gratas conciliabit opes?
Expecto certe tu quid pro munere tanto
  Reddas & tanta commoditate mihi.
Iudice te si ex condigno, iustaq́ bilance,
  Re bene perpensa mittere digna uoles,
Vix satis hoc fuerit certe, si quicquid hymetus
  Mellis habet mittas, hyblaq́ quicquid habet.

IN OBTRECTATOREM INVIDVM ADONICVM Monocolon.

PRotinus atris
Conde tenebris
Non bene comptam
Inuide frontem.
Obsita magna
Inuidia mens
Quid facit? ecce
Exagitat te
Excruciat te
Exanimat te,
Eia misellè
Desine tandem
Consulo sane
Inuidia te
Exagitare
Excruciare
Exanimare.
Desine tandem
Nostra per ipsum
Carmina Christum
Carpere ineptis
Improbe uerbis.

Quod

Quod nisi prorsus
Igne perurent.
Feceris & te
Eia age quæso
Ipsa uicissim
Non bene comptam
Inuide carpent
Conde tenebris
Et magis omni
Inuide frontem.

AD M. SIMONEM AVSTICVM ARCHIDIACONVM *Ecclesiæ Pragensis.*

MItius aura meam tua per conamina puppim
 Nunc agit, hærebunt pectore fixa meo.
Ante suos Albis conuersus curret ad ortus,
 Ister & a ponti refluus ibit aquis,
Hæc tua quam pietas memori de corde recedet,
 Aut mens ipsa memor desinet esse tui.
Qui restat cliuus, quem nosti, mentis amaræ est,
 Hunc quoq; uirtutis est superare tuæ.
Perge iuuare tuos fiducia certa tuorum,
 Nostra neq; in medio desere uela mari.
Fortasse hæc olim pro me fecisse iuuabit,
 Stat bene apud memorem gratia nanq; uirum.

AD CHORAVLEM QVENDAM.

EXtat tam magnus tibi pingui abdomine uenter,
 Vt uesica apte dicier urse queas,
Quem quod miror ego tenuet non liuor & ipsa,

Semper

Semper qua recales plus ſatis inuidia.
Næ tu pallidior buxo & uilloſior urſa
Iam pridem fieres aridiorq́ ſcobe,
Inuidiæ tibi ſi uirus non liuor & ipſe
Naturæ fierent grata alimenta tuæ.
Eſt monſtri ſimile hoc, mirari deſine, monſtra
Sic gaudent monſtris, ut ſimile omne ſuo.

AD PISONEM.

DIſtortum uultum ſequitur diſtortia morum,
Hoc quiſquis ſophiæ dixit alumnus erat.
Calluit ille quidem magnæ ſecreta parentis
Naturæ, ſpecimen hoc fuit ingenij.
Qui res ſolerter rimantur & intima rerum
Semina colluſtrant & ratione probant,
Id uerum certumq́ uolunt, quin plurima cauſa
Exempli ponunt conſpicienda palam.
Plurima ſunt nimirum in promptu exēpla, uel ipſe
Id ſolus noſtras Memroth abunde probat.

IN LOCO VBI INAVGVRATVR CLERVS AD BENEficia ſcribendum Iambicum Trimetrum cum dimetro.

MEminisse porro nos loci huius conuenit
Vigilanter atq; prouide.
At debiti cui iureiurando sumus
Obnoxij, magis quidem
Iurata mens, onerata quantum & qualiter
Hoc in loco, & quibus modis.
Expendere hæc profecto identidem expedit,
Memoranda commemoro patres.

AD MAGNIFICVM D. D. PETRVM A ROSIS REGNI Bohemiæ primatem.

ECce bifrontis eunt iterum iam tempora Iani,
Ecce suum reparat lubricus annus iter,
Sacra dies priscum semper celebrata per orbem,
Exoritur nobis alite fausta bono.
Has largas ueteres Iani dixere Calendas,
Munificum tempus munificosq; dies.
Muneribus decertant nunc iuuenesq; senesq;,
Munera certatim fertq; refertq; puer.
Eia meo mittam domino quæ dona patrono?
Virtus insignes exigit eius opes,
An mihi multigena flauescit campus arista?
An mihi ter centum bobus aratur ager?
An mihi selectis florent uineta racemis

Innu-

Innumerum claudunt num mea septa pecus?
An mihi fert rutilas Hermus prædiues arenas?
An domus e solido marmore celsa nitet?
Murice bis Tyrio an mihi tincta renidet abolla,
Mittere quas solita est luxuriosa Tyrus?
Quid faciam Musæ dulces? sub tecta patroni
Ite, meum paucis expediatis opus.
Non puto mõstrandum uobis iter, Ast bene uobis
Cognita sunt domini limina docta mei.
Ille colit Phœbum, uobiscum pars sibi magna est,
Illius est uobis semper aperta domus.
Anni fausta noui me poscere tempora diuæ huic
Dicite fœlices & sine fine dies.
Dicite, non ualet hic rebus, quod mente benigna
Præsto est, sit bona mens & uoluisse satis.
Ite bonis auibus Musæ, pro munere fiet
Scilicet hoc fœlix omen & augurium.

AD NICOLAVM RADNICENSEM.

QVi fratrem uocitas, operas impende roganti
Fratri, nec cessa fratris in officio.
Ex me rursus idem expecta, modo posce iubeq;,
Si quicquam possum, res mea tota tua est.

AD SEBASTIANVM MEDICINAE DOCTOREM uirum optimum.

NOn q̃ opes reddas olim quas ſuſtulit hoſtis,
Aut quid tale placẽs, quod mihi prꝫſtiteris,
Sed quod reddideris languentibus arte uigorem
Membris & rurſus conualuiſſe mihi.
Debeo uirtuti celeberrime doctor honorem
Et grates omni tempore habere tuæ.
Nam Cous medica præluſtris in arte magiſter,
Vel ſi feciſſet pharmaca Philyrides,
Non meliora mihi magis aut factiua ſalutem
Feciſſet, ſiquidem quam ualuere tua,
Deſperata ſalus monſtrat, reuocataq́ tandem
Rurſus ab ingenio rurſus ab arte tua.
Quapropter meritas alij ceu rite parenti
Grates debere me tibi confiteor.
Quod mihi ſi Tyrio madefactæ murice lanæ
Sint et Erithræo dona reperta mari,
Ferres & Tyrio madefactas murice lanas,
Nec minus Eoo dona reperta mari.
Sed quoniam deſunt, placeat tibi prona uoluntas
Interea, o magno non minor Hyppocrate.

AD EVNDEM.

VErbosus reliquum Poeta quod det,
Quum non sit nisi uerba: uerba fronte
Læta sume Sebastiane, & hæc sint
Quamuis pauca, mouent & ipsa pauca
Mentem, sint ea si diserta pauca.

AD D. IOANNEM POPEL.

QVod iam nõ dubito tua magnificẽtia Erasmi
Legerit a nobis scripta recepta diu.
Scripta recepta diu tua magnificentia Erasmi
Iam tandem iubeat eia redire domum.
Saccara mixta fauis magni dulcissimi Erasmi
Iam tandem iubeat eia redire domum.
Pieridum flores & amœna uireta dearum
Iam tandem iubeat eia redire domum.
Delicias animi mentis lenimen amaræ
Iam tandem iubeat eia redire domum.
Nolit nos rebus tantum fraudare cupitis,
Quin tandem iubeat eia redire domum.

BONI BIBONES. HEXAMETRVM CVM IAMBICO dimetro.

FOelices nimium quocunq; in gurgite pisces
Licet quibus quando libet

Proluere os gelidis pro uoto & largiter undis
Suam ſitim propellere.

AD VICTORINVM CRVMLOVIENSEM PHAlecium Endecaſyllabum.

VIctorine petis poema doctum,
Maius diuitijs opus caducis
Victorine petis, poema doctum
Vis ſi, pone ſacrum pias ad aras
Muſis humidum agatur ut ſolenne,
Nectar Corrioidas decet ſorores,
Neſcit ſobria Pieris iocari.
Vis ſi blandicias, ſales, lepores
Edat, lætitiæ dator fac adſit
Bacchus, melliſluum, ſuaue, blandum,
Argutum & facile & uoluptuoſum
Edet dulci fluiq; muſteiq;
Adſunt humidulæ ioci Camœnę,
Siccæ nil niſi triſte languidumq;,
Reddas humidulam, dabis uigorem,
Reddes ſex cyathis bonum uigorem.

AD MARSVM.

QVæ non inuidiam ſenſit, non uiuida Virtus
Cenſetur, perfert uiuida tela, cruces.

Fer pa

Fer patienter, habet iustam patientia laudem,
Est aliquid dignum dicier inuidia.
Liuori ne cede malo, fulgentior extet
Fac uirtus, doleant uel magis intereant.
Quod scribis nil est, ulcisceris ipse superq;,
Inuidus ipse nimis uapulat inuidia.

AD CLARISS. VIRVM DOCTOREM IOANNEM COchlæum Canonicum Ecclesiæ Misnensis.

Vrsi c ulis doctor clariss. Villa Simonq;,
Meulta tuis debent, id tamen ex animo.
Virtutiq; tuæ istuc se debere negabunt
Nunq̃, quod bona sunt nomina semper erunt.
Nunc utcunq; ualent quin toto pectore grates
Multimodas reddunt certe & habent & agunt.

AD VENCESLAVM BOLESINVM.

ECquis hic insulsus, ignarus, ineptus, inaudax?
Audax uel tantum nocte uel in tenebris.
Est ausus modulos dextra uiolare nephanda,
Proh scelus & numen contemerare pium.
Olim ulciscetur læsum se numen abunde,
Pœna grauis diuum est, tarda sit illa licet.
Fagello satis atq; satis fuerit, toties te

Dicere

Dicere latronem quisquis es intrepide.
Dum tibi sit mutire nephas, dum pressa labella
Dente teras, mutus factus ut Harpocrates.
Vel nisi per tenebras iterum noctis liceat quid
Audere asueta proditione tibi.
Sed non est curet quod tali fraude petitus
Fagellus, factus notior inuidia.
Qui te hoc pro *meritis* latro & *pro talibus* ausis,
Quisquis es, ad præsens munere donat, habe.

ALIVD.

INuidiam flammæ similem dixere uetusti,
Alta petit quoniam semper ut illa solet.
Semper ut illa solet petit alta quod atque quod urit
Multum quo semper æstuat *igne* suo.
Vrit sed nisi se tantum, *quid iustius* ergo hac,
Si sceleris pœnas irrogat ipsa sibi?
Hoc habet illa boni tantum, per cætera nequam est,
Tanto hoc quod torquet se excruciatque foco.
Se excruciat quoniã placet hoc, etiã placet atque hoc
Vt pereat prorsus ne magis inuideat.

AD HENRICVM HRVSSOVIANVM.

CEcropio dulces mihi distillare uideris
Ore fauos, quoties carmina docta sonas.

Docta

Docta Bohuslai quoties Henrice recenses
Carmina, quæ memori plurima mente tenes.
Pendula post reditum non tam narrantis ab ore
Penelope fuerat fœmina fida uiro.
Dardanij Phœnissa ducis nec gratius hausit
Verba recensentis prælia Graiugenum,
Magnifici quam uatis ego uictura perenne
Carmina percupida sedulus aure bibam.
Hic est Italicis certat quo barbara tellus
Vatibus hic est cui pulcher Apollo fauet
Hic est Pallados & Phœbi se pectore cuius
Numina concludunt, Corricidumq; deæ.
Non habuit talem gens olim Bema poetam,
Quin Heroa nec est post habitura parem.
Heroum specimen, doctorum splendor honorq;
Hic est & Bemi gloria rara soli.
Eia age plura refer tanti mihi carmina Vatis,
Esse reor, dices multa relata mihi.
Plurima sunt fateor, restant sed plura relatis,
Et dederis quanq̃ plurima, plura peto.
Quod placet & tantum, nunq̃ consueuit idipsum
Esse nimis, Thyma sic parca frequentat apis.

EX PERSONA
SCHOLASTICORVM.

Corbulo quam ingenti uix ferret robore molem
Sexcenta scilicet bene ampla tergora.

Sisyphus ut saxum gemitu multo atq; sudore
Ferre & referre nos oportuit diu.
Donec Fagelli pietas commota labore hoc
Nostro, obuiaret huic diutino malo.
Sit superis igitur pro munere gratia tanto,
Fagello & ipsi post deos quamplurima.
Quod labor ante fuit, fiet iam nostra uoluptas,
Ferre & referre musicum hoc tandem opus.

AD D. HENRICVM SCRIBONIVM THINENSEM.

VT suus ille tuus quantos en spirat amores
Fagellus quantos dispice quamq; pios,
Mensuram quod nescit amor numerosq; uidere est,
Exprimit in summa dum sua uota tibi.

SIMON MAGVS AD SVOS.

ME nemo est meliorq; certiorq;
Promotor, domini deum ministri.
Artesquod nequeunt, nec ulla uirtus,
Id uobis ego sum ministro Simon,
An non ergo mihi deum ministri,
Eho soluere debitos honores
Debetis merito optimoq; iure,
Vt grati & memores sitis requiro,
Tandem soluite debitos honores.

De uino

DE VINO, AD BACCHVM.

HIc eſt ille liquor mentes qui ſanat, & ipſo
Qui curas hominum diluit ex animo.
Dilutis animi uitijs qui uincit amico
Languida de curis membra ſopore ſuis.
Bacche ſator uitis, dator huius & alme liquoris,
Pro tantis tibi ſit gratia magna bonis.

AD CLEMENTEM PAROCHVM.

NVnc undoſa palus dũ me dum canna paluſtris
Detinet, ingrato terra referta luto.
Digna minus ueſtris, mea ſi cenſentur, & ut ſunt
Auribus, & ueſtro carmina iudicio.
Nil mirere pater, poſtq̃ me Felſina docta
Erudiet, placido ſuſcipiendo ſinu,
Nitar ut effracta ruditate per ardua Cirrhę
Saxa ferar, placidis accola factus aquis.
Tunc mea forte legens cenſebis digna popello
Carmina longęuo nec peritura die.
Dices forte tuis tandem uicina Camœnis,
Et quos Piſo facit proxima uerſiculis.

IN CONVENAM QVENDAM QVI IN EMSERVM SE MILle partibus eruditiorem scribere fuit ausus.

SCripsit in Emserum & q̃ dure conuena quidam,
Doctus iudicio scilicet ipse suo.
Sed collatus ad Emseri pia dogmata docti,
Ignauum porro cernitur esse pecus.
Stulta tuos intra maneas audacia fines,
Atq; tibi quam sit penula curta uide.

AD MAGISTRVM ERASMVM PINIFERVM, HEXAMEtrum cum Dactylico Archilochio Hypercatalectico.

ILle tuo quondam nutritus nectare Simon,
Pastus & Ambrosia,
Pierides nos ille suas Heliconis ab arce
Castalioq; lacu
Ire salutatum iussit tua tecta domumq;,
Teq; laremq; tuum.
Vt ualeas foelix rerum celebrande magister
Saluus & incolumis
Optat ut & pilias æui tribuant tibi metas
Vincere Dij superi.

Scipio,

Scipio, Mecoenas tu huc & Messala magister,
Te reuerenter amat.
Si quid agat quæris nouus hic Heliconis alumnus,
Nostra uireta colit.
Pegaseumq; nemus gelidis Parnessidos undis
Mersa labella rigat.
Atq; leues calamos tractat, cytharamq; sonantem,
Barbita, plectra, choelim.
Hunc nos Parnasi per celsa cacumina montis
Ducimus Aonides.
Pegaseæ & nos huic rupis pia flumina, nosq;
Bacchica serta damus.
Hæc sunt contexit quæ prima poemata, tandem
Et meliora dabit,
Quum melius lucos & amœnas Phocidos undas
Nouerit & biberit.

AD NICOLAVM RADNICENSEM PHALECIVM Endecasyllabum.

VEl densas Nicolae me per umbras
Vallis Pegaseæ tulisse gressus,
Ad fontem uitreo liquore clarum,
Ter ternæ recinunt ubi Camœnæ,
Vocali medium tenente Phœbo,
Vt uates propere hinc nouus redirem
Credis, quod mihi rem grauem iubes &

Dignam Vate magis peritiore,
Nostri scilicet ut beatitatem
Diui carmine principis uenustem,
Qui dignus fuerit Maronianis,
Veris carminibus & eruditis,
Quæ sistant uaga gurgitis fluenta,
Syluas quæq; trahant sonantis hæmi,
Quæ flectant Furias, doment canem q;
Ditis tergeminum suauitate.
Sunt Musæ tenues meę impares q;
Isti tanto oneri ferendo, me oro
Tandem quod iubeas onus subire
An possim uideas onus subire.

AD NEPOTVLVM QVENDAM.

COnsilijs animum muta, caput elue succo
Hellebori, aut alia qua ratione potes.
Res casusq; tui egent id, patruiq; dolores,
Inq; simultates gratia uersa graues.
Sors tua languet & est magnæ uicina ruinæ
Ni sapias timeo ne ruet illa, caue.
Dum licet atq; potes cures id, sero queraris
Ne uereor, propere consule quæso tibi.

In Cyclo.

IN CYCLOPA QVENDAM, HEXAMETRVM CVM Iambico Dimetro.

MOnstrũ infame bonis inuisum ꝗ lupus agnis,
Scarabeus alphæ quam alitum.
Improba factorum series tandem illa tuorum
Lucescit, erumpit, scatet.
Quis te non digito commonstrat dicit & hic est
Lerna & malorum ipsum mare?
Conde caput tenebris & fuge fabuai uulgi,
Onerate tam fama graui.
Vltra Sauromatas procul hinc tibi quære latebras,
Pestis quietorum improba.

PRO OPERA PRAESTITA AD PATRONOS.

CErte ego si totã ediscam referamq; Corinthon,
Omnibus exequem si artibus Hesperiam,
Sit si uox animusq; mihi Demosthenis, atq;
Os quod melle fluat Pegasidumq; fauis,
Isocratis ueneres mihi dent, si dulce loqui tam
Est ꝗ Parthenium Meoniumq; melos,
Mella Platonis apes dent si uocalia, tandem
Dent etiam innumeras si Ciceronis opes,
Quin si doctiloqui det Suada Periclis ab ore ut
Sic nostro liquidi mel fluat eloquij,
Imo si Musæ recinant, si cantet Apollo,

Si genitus

Si genitus Maiæ temperet ungue fides,
Pro meritis dignas non possim soluere grates,
Pro tanta hac uobis cum pietate fide.

AD SVAM IVVENTVTEM.

INdultum satis est cohors amica
Nugis, illecebris, mero, iocisq;.
Iam sunt ocia negligentiæq;
Pensandæ uigilantia fideli,
Oportet redeamus ad labores
Consuetos, peragenda ad instituti
Nostri debita munia, ad probatos
Authores uariæ eruditionis,
Consecrata perennitatis æuo
Olim nomina, laude gloriaq;
Insignita, colenda iure semper
Hos porro uigilantibus ocellis
Collustrare frequentius oportet,
Hos hortum placidum putare qualem
Olim Corcirius senex amabat.
Et qualem Hesperides uelint habere,
Hæc si uos penitissimo inferetis
Cordi, atq; hijs fueritis audientes,
Flores hinc referetis uberesq;
Fructus, credite me duce & magistro,
Insignes iuuenes, cohors amica.

Ad ean-

AD EANDEM.

Aonas ad mõtes dulces ſub Daphnidis umbras,
Ad placidas tetrici Bellerophontis aquas
Læta iuuenta ueni, quam fax et gloria famæ
Et placidi immenſus ardor honoris agit.
Templa Camœnarum concetnu læta frequenta,
Et uigil anguigeræ Gorgonis arua cole.
Eia age corricidas ſed & hæc quæcunq; cohorti
Aſpirant uatum numina ſancta cole.
Pocula Dircæi fontis mage nectare dulci
Mollia percupidis ſumere perge labris.
Arrecta Muſas Andini uatis honeſtas
Quas quondam Cæſar hauſerat aure bibe.
Illę te ducent per pinguia Phocidis arua,
Eurotæ ripas, perque Heliconis aquas.
Amne ſitim ſtringes Aganipes, pectore eburno,
Auratæ feries fila canora lyræ.
Cincta comas hederis uiues & uirgine Phœbi,
Doctis grata magis facta ſubinde uiris.

AD EANDEM.

TEnde manus totosq; ſinus ſtudioſa iuuentus,
Noſtra tibi uarias muſa refundet opes.
Muſarum hauſta uadis multa emanare uidebis
Eloquij ſenſim ſaccara melq; boni.

Viribus ingenij totis incumbe labori
 Si sapis, haud omni tempore uernat ager.

IN PRAELECTIONEM TRAGOEDIAE SENECAE, PHAlecium Endecasyllabum.

AVres aurige tinnulas iuuentus,
Et pectus tragicis para cothurnis,
Fortunæ uarias uagæ procellas,
Si uis nosse potes meo labore,
Si uis nosse potes ducum furentum
Casus, exitia & cruenta, tandem
Planctus fœmineos, simul nephandos
Ausus. Tu modo, si cupis doceri,
Persta, peruigila ad fores Dearum,
Vt dignus uenias choris Dearum,
Segnes despiciunt chori Dearum.

AD STVDIVM PHILOSOPHIAE EXHORTATIVVM.

PRincipia & causas rerum tacitosq; meatus
 Et refluas in se lite iuuante uices,
Pergite rimari magnæ secreta parentis
 Semina naturæ materiamq; rudem.
Discite quur terras liquidus circumfluat aër,
 Ambiat ęthereas quur uaga flamma domos,

Discite

Diſcite quæ tardis ſtrauit ſors æquora terris,
Extima quur teneat Dedala terra loca,
Æterna quis lege regat diſcordia certam
Ne propere rumpant hæc aliquando uicem.

AD MAGISTRVM BRICCIVM.

VVlgando meritæ titulos præconia famæ
Viſus es egregie conſuluiſſe tuæ.
Cui ſiquidem cordi eſt uirtus aliena, patetq́,
Idem ſit propriẹ diues abunde ſuæ.
Macte animi merito Bricci celebrande magiſter,
Hic qui cum multis tam tibi profueris.

AD AMICVM.

PHarnacis noſtri hoc uarium & mutabile pectus
Reddas conſilio certius & melius.
Iſtud de nihilo non eſt monuiſſe, fidelis
Impenſum credas munus amicitiæ.
In melius niſi cœpta breui hæc mutauerit, ibit,
Eſſe uelim hic uanus, in genus omne mali.
Expreſſit dolor hæc formidoq́ magna futuri.
Quantum quæſo potes, conſule, flecte, rege.

AD AVITVM

FVmis quæso suis Dento num te nebulisq;
Mulcet, an ut sunt has somnia uana putas?
Somnia uana puta, ardelio est captator honoris
Vani & si nescis forsan hic ipse Thraso.
Quanta hominis iactãtia, quanta cupidoq; famę est,
Quantus uerborum est & fragor & strepitus.
Cui non ille sua patrata enarrat ubiq;, &
Gesserit ut propria qualiter illa manu.
Æstimat & coelum se tangere sanguine, quo non
Esse puto factis inferius barathrum.
Mentiri non esse putat stultumq; malumq;.
Errat plus nimio cæcus amore sui.
Cætus amore sui ignorat quod gloria nulla est
Si quæ habeas etiam uera beare tua.
Risu quam magno pulmonem agitaret in orbe hoc
Bistonius si nunc esset Auite senex.
Imprudens uanum, quin detestabile, nobis
Quod bardos reddis ridiculosq; homines.

AD M. SIMONEM ARCHIDIACONVM ECCLESIÆ Pragensis.

PLura tibi facies facili & meliora labore,
Percurrens cytharæ plectra fidesq; tuæ.
Nam mihi nõ carmẽ, sed quiddã triste sonandũ est,
Nunc pro fortunæ conditione meæ.
Quod propter nostris debes ignoscere scriptis,

Si spe

Si spe sunt, ut sunt, inferiora tua.
Carmina proueniunt animo deducta sereno,
Innumeris moeret mens mea pressa malis.
Olim si forsan nobis fulgebit ab astris
Hora magis foelix, prosperiorque dies,
Fortunæ uultum noster tunc sumet Apollo,
Fiet & in nostro plurimus ore lepos.
His quoque finis erit, nec ego fore spero perennem
Tam leuis in toto quæ uolat orbe deam.

DE VIRTVTE ET INVIDIA.

QVæ non inuidiam sentit, non uiuidia uirtus
Censetur, gignit uiuida tela, cruces.
Viuida quæque magis quanto est, tanto inuida corda
Verbere maiori uerberat inuidiæ.
Vis uere qui scire dolet frendetque furitque?
Virtute alterius qui redolente dolet.

AD MAGISTRVM BARTHOLOMEVM RHAPALVM studij Pragensis Decanum.

PHoebi & Pegasidum cultor facunde magister
Pars bona amicitiæ Bartholomee meæ.
Questus heri mihi curarum te & pondere fessum
Et studijs nec quam posse uacare uelis

Quas memini dixti, his laus est insistere curis,
Et uirtus certe nec mediocris honos.
Facta probant homines, factis censebere tandem
Quis sis, artificem testificatur opus.
Legitimi rebus semper quæruntur agendis,
Legitimum agnoscunt, hinc tuus ille labor.
Ergo deinde queri cessa uenerande magister,
Illa, si nescis, itur ad alta uia.

EPIGRAMMATVM LIBER SECUNDUS.

AD REVERENDISS. D. PETRVM PAVLVM VERGERIUM NUNCIUM APOSTOLICUM.

OLim utcunq; fuit blandas mihi cura Camoenas
Qui etiam multis sollicitare modis.
Ipsæ etiam nonnunq̃ arriserunt, mea donec
Vernarunt proprijs ora genęq; bonis,
Verum iam canos horrent, rugasq; nec assis
Vnius faciunt turba nouena senem.

Petrus

PETRVS PAVLVS VERGERIVS SVMMI PONTIFICIS Prothonotarius ad Ferdinādum Regem Romanorum &c. cum potestate legati nūcius Ad Si. Vill.

MVsæ quæ prius attigere nunq̃
Ripam huius fluuij, neq; hos recessus,
Venere huc subito tuo lepore
Adductæ neque frigora extimentes
Neq; incommoda multa regionis.
Sed ne desine confouere quantum
Potes, ne fugiant repente rursus.
Indignari etenim & solent abire
Si non præcipue ac diu colantur.

AD MVSAS EIVSDEM D. PETRI PAVLI VERGERII &c. Hexametrum cum Iambico Dimetro.

PIerides Musæ doctæ castæq; sorores,
Iouis propago maximi.
Quas modo uos terras, quæ barbara regna uidetis,
Alumni amore nobilis.
Posthabita quem uos etiam cum Tibure Roma
Sequi putastis haud graue.

Cuius

Cuius suaue audire fuit uos ore canentes
Docto, eruditas syllabas.
Quæ mihi nimirum magni sunt muneris instar,
Vobis puellæ debitæ.
Huic tanto grates domino uos dicite Musæ
Suadæ medullæ Virgines.
Et reducem tandem, defunctum hoc munere tanto,
Amplis beate honoribus.

AD MVSAS ET PHOEBVM SIMON FAGELLVS.

SCitis Pierides, sed & Magister
Vocalis cytharæ beate Cynthi,
Per ualles nemora & uireta uestri
Parnassi gelidos sinus & umbras
Me reptasse, hederas modo rosasque,
Verbenas modo, Daphneamque laurum,
Gentilemque etiam subinde fagum,
Aris imposuisse sæpe uestris,
Quin cultu & ueneratione multa
Vos semper coluisse me libenter,
Rursum numina pulchra Apollo, Musæ
Hoc sane fuerit bene atque rectum,
Vos item mihi tam bene ut uelitis,
Vobis quam bene deditus cliens sum,
Vultis scire uelim quid o Camœnæ
Vatum tuque parens Apollo dicam?

Paucis

Paucis, posco, rogo, insto, quæso & oro
Commendarier inclyto patrono
Vestro Vergerio Petro atq; Paulo.

PETRVS PAVLVS VERGERIVS SVMMI PONTIficis Prothonotarius &c. ad Simonem Fagellum Villaticum.

FAgus Vergilio gratas quæ præbuit umbras,
Demeruit sacras hoc sibi Pieridas.
Credibile et Phœbum, atq; hinc est Fagelle sub umbra, ut
Fagi tam recinas carmina culta tuæ,
Hac in gente sub hoc cœlo tantasq; pruinas te
Inter tam faciles miror habere Deas.
In promptu est igitur quur te Fagelle Boemi
Multum & multimoda laude uehant et ament.

AD AVCTVM PRISCVM.

SVllam quam uobis hodie permulta loquentem
Nec bene, nec pro re, non leue ferre fuit.
Accepi, multis etiam graue perq; molestum
Id sensi & magnis porro fuisse uiris
Temporis exemit tantum quod rebus agendis
Vestris garritu multiplici & uario.
Recte displicuit distentis mole laborum, &

Curis & tantis sollicitudinibus.
At placuit sibi, uobis quantum displicuit, se
Audisset uestris auribus Aucte uelim.
Dum sibi plus etiam de se quàm credit amicis
Incidit tantum hac credulitate malum.
Vult sapere & plus quam satis est, miser haud tenet
Quisquis plus iusto, non sapit ille, sapit. (istud,

AD IACOBVM PISONEM PANNONVM CONSILIArium Regium.

SAlutaris amator unitatis,
Assertor fidei sacrę atq; cultor,
Vir clarissime fautor & Patrone,
Commendant tibi se meæ Camoenæ,
Qualescunq; licet meæ Camoenæ,
Quæ si dulciculæ uenustulæq;
Non sunt, nec satis eruditulæq;,
Id mirum nihil est profecto, saltus
Nunquid Phocidos, arua syluulasq;,
Rupes Aonias, uireta & undas
His uidisse datum est, bibisse aquasq;,
Quas diuæ Aonides colunt puellæ,
Vtcunq; est tamen, hæ uirum peritum
Ornatissimum & undequaq; & usq;
Tot uirtutibus, in sui fauorem
Te si permoueantq; pertrahantq;,

Certe

Certe non magis has ineruditas,
Rudes, illepidas & infacetas
Qualescunque licet uocabo tandem
Id si præstiterint, meas Camoenas.

AD NICOLAVM TELESINVM.

MIraris nostri pietatem præsidis, ut qui
Tam facile ignoscat tanta nephanda reis?
Iudex mollescat sæpe & flectatur oportet,
Persuasus causis & ratione duce.
Fulmine si caderent mortem quæcunque merentur,
Exinanita breui tempore terra foret.

AD DOMINVM IANVM AMICVM singularem.

PVlchre licet niteas ornata crumena, quid istuc?
Nil absque nūmis tecū, abi hinc quęso, hinc abi
Non sunt imponam tibi quæ numismata, Ianum
Meum pecuniosum adi, & dicas, tibi
Fagellus me transmisit, clarissime Iane,
Nummis meos ut sarcias loculos tuis,
Nam tibi sunt nummi, numerosa pecunia tecum est,
Age farcias nummis meos loculos tuis.

DE DOMO SVA INSTAVRATA AD FVTVRVM SVCCESSOREM, Iambicum Trimetrum cum Dimetro.

EXculta successor meis laboribus
Te si hæc iuuabunt quidpiam,
Forte & iuuabunt, gratiam faxis refer,
Nullam sed hac gratam magis
Poteris mihi quidem referre gratiam,
Quam pro meis excessibus
Si orator & precator extes sedulus,
Satis superq; gratiam
Eam mihi gratam, quater & amplius,
Fuerit referre gratiam.

IN MEDIIS MALIS EXVSTIONIS SVAE PELSINA LAMENTARI SIC AC DEFLERE UISA EST.

SI pro commeritis, recto si deniq; Martis
Progressu tanto uerbere cæsa forem,
Lætior atq; minus lachrymis suffusa dolerem,
Qua releuarer ego deniq; causa foret.
Sed quoniam insidijs & cæca fraude dolisq;
Ah pereo, lachrymas fraus dolus ingeminant.
Condoleat dominus cœli terræq; marisq;,
Et sator astrorum qui uidet ista deus.

Annota-

ANNOTATIO DIEI ET ANNI EIVSDEM EXVSTIONIS, Sapphicum cum Adonico.

DVm per obliquum gradiens Apollo
Circulum, mille & sociando septem
Atq; quingentos numeraret annos
Christe tuorum.
Septima Iuni, meminisse durum,
Perfidis ausis operante fraude,
Arsit immiti, referens tremisco,
Pelsina flamma.
Semper hanc Iuni miseram nepotes
Posteris nostri referent ruinam,
Vt cati cladem similem uerendo
Viuere curent.
Semper hæc Phœbo renouabit ignes
Dum suos imis memor in medullis
Pelsinæ gentis scelerata clades
Fixa manebit.

DE DORIDE PELSINENSI.

LAssula de radijs æstum Phœbi amne leuabat
Doris sydereo digna puella Ioue.
Numen aquæ uisam admirans multumq; diuq;,

Tuq; tuam Venerem Pelsina dixit habes.
Iudicio Paridis sit si certamen habendum,
Dixit, & hæc diuas uinceret una duas.

FLOS TRANSMISSVS AB AMANTE DORIDI.

CEspite in herboso decerpsit nuper amantis
Me manus, ut fierem munus amoris ei.
Quum decerpsisset lachrymis inspersit abortis,
Tunc quas expressit corde repostus amor.
Tandem me munus dominę transmisit habendum,
Sic sparsum lachrymis, humidulumq; suis.
Humidulum sic Doris adhuc formosa recepit,
Sed tamen ad lachrymas addidit illa suas.
Gratum munus eram, ter centum basia cepi,
Suxi sanguineis ęmula labra rosis.
Pectore de niueo, de turgidulisq; papillis
Spirarunt Charites, multifluos Zephiros.
Si tibi uis referam formam speciemq; puellæ,
Ora, genas, oculos, lilia mixta rosis.
Vis tibi cygneam plumam glaciemq; rypheam
Vt referam, Alpinam Caucaseamq; niuem.
Colla niues uincunt, ardentes lumina flammas,
Et teretes suræ lilia, pectus ebur.
Ora, labella, genæ fulgent, sed non aliter quam
Lacte recens medio, si rosa luxuriet.
Hæc inter potuisse putes arere repente,

Desue-

Defuerat nobis humor an,anue tepor?
Plurima tunc Doris dicebat munere læta,
Inter cuncta tamen uox fuit illa frequens,
O miseri sæuo nimium sub sydere amantes
Progeniti,quibus heu non licet esse simul.
O superi faxint Narcissi sorte uirescam,
Vt si non aliter,flos ferar ipse sibi.
Scilicet hæc lachrymis oculos suffusa nitentes
Dixit,per roseas imbre fluente genas.
Aridulum tandem post tot iam basia munus,
Attritus quum iam nil nisi puluis eram.
Me niuea complexa manu pulcherrima Doris,
Hos roseo tandem fudit ab ore sonos,
Floscule iam fatis urgentibus aride puluis,
Quo iam te tandem consepelibo loco?
Eheu non nisi corde meo tumulabere,corde
Mancipio domini,puluis amate, tui.
Tandem Chreseo repleta in pocula Baccho
Spargens cum Bromio me ebibit illa deo.
Non sepelit reges tam digne Barbara Memphis,
Alta licet lambant sydera Pyramides.
Nobilius iaceo quam uel Cleopatra,profecto
Non potui condi clarius atque mori.

AD LEONARDVM DVBRAVIVM PHALECIum Endecasyllabum.

Sacris

SAcris septe choris nouem Dearum,
Insignite comas uirente lauro
Ad nos quod Leonharde docte sano
Sanus corpore nunc redis fauemus.
Vocalem Cytharam, Lyram, Chelimq;,
Naulum, barbiton, & tuas Camoenas
Te nunc ex Latio suo sequentes
Tecum carminibus meis saluto.
Sis saluus Leonharde docte semper
Saluum te fieri uelint perenne,
Hæc & si tenues meæ Camoenæ,
Vestris dissimiles meæ Camoenæ.

AD NICOLAVM RADNICENSEM.

DElia uult nummos, fac internodia soluas
Bursæ uis si det Delia delicias.
Nam nisi dona dabis, cernes ut Delia scribis
Supponat tenerum luxuriosa femur.
Sæpius hanc frendens scribarum limina cernes
Obterere, & scribis uendere delicias.
Vendere delicias cernes, & perdere longas
Noctes, atq; nouo sole redire foras.
Quod Nicolae tui causa dat Delia, nunquid
Alterius causa non dabit & precij?
Vis fieri fidam, supera Nicolae riualis
Munera, erit multos uincere ditis opus.

IN POLYPHEMVM BLATERONEM.

ERrem si uilem magis Alga dixero te, sed
Calcato dicam stercore si, minime.
Damnati mores, temeraria lingua, leuis mens,
Te faciunt quo nil fœdius esse potest.
Hoc est inuisus cur fastidiris ab omni,
Tessula quam uili commaculata luto?
Est tibi quisq; Timon, nunq̃ sed moribus istis
Vlli Alcibiades ipse futurus eris.

IN FORIBVS CELLAE SVAE.

SIste gradũ, pausa, sta mox, & comprime gressum,
Limina tu quisquis ista uiator adis.
Ter ternę hic habitãt Musę, & cũ Pallade Phœbus,
Esto prophane procul, est locus iste sacer.
Nemo fores istas debet contingere, Vates
Ni sit Hyantheæ certus amator aquæ.
Dona ferens tamen aut nostræ responsa puellæ,
Intrepide ille potest, ipsaq; sola potest.

IN PARIETE OFFICINAE LITERARIAE.

ESt locus iste sacer Phœbo Ceæq; Mineruæ,
Atq; nouem Musis, rustica turba fuge.

Discere qui cupiunt linguæ monumenta latinæ
Et mores sanctos, huc ueniant pueri.
Huc ueniant humiles, uexat censura rebelles,
Parcere subiectis scit tamen iste locus.

AD LAVRENTIVM CAPLICENSEM.

NEctare & Ambrosia manat tua lingua fauisq;
Laurenti quoties Celtis in ore tuo est.
Et licet ipse suæ referas præconia famæ
Multa, suæ referunt plura Heliconiades.
Quod uirides hederas Heliconia flumina primus
Duxit ab Aonio uertice Teutoniam.
Quod decus imperiale tenet, lauriq; corollas
Nectit & Aoniis implicat usq; comis.
Quod germana cohors lauro redimita uirenti,
Hunc Phoebum agnoscit Pieridumq; patrem.
Hoc latum foelix eius foetura per orbem
Quæ uolat, ingenii testis opima sui,
Nunciat & laudes terras diuulgat in omnes
Quas magnus iam nec finiet Oceanus.
Celtis honos uatum, Musarum gloria Celtis,
Mysta furoriferi maximus ille dei.
Viuat & annosum deuincat Nestora uita,
Totius Celtis gloria Teutoniæ.

AD PHOEBVM.

ET Musae & Phoebus ualeant, iam nil mihi tecũ
Amplius aeterni filia docta Iouis.
Num prodest aliquid uos excoluisse cuiq̃,
Et longa uobis inuigilasse mora?
En uobis confisus habet sibi debita Simon,
Ille cliens uestrae curaq; militiae.
Ludibrium populi, miser ut despectus Hiarbas,
Ecce iacet iusta & de ratione dolet.
In mentem ueniunt, sed non sine uulnere mentis,
Insumpti studijs cura laborq; suis.
Ante oculos risus sunt, sunt & liuida corda,
Qui gemitus augent ingeminantq; suos.
Condoleat dominus coeli terraeq; marisq;
Et sator astrorum, qui uidet ista deus.

AD BALTHASARVM CRVMLOVIENSEM.

SI satis effusas esset pro munere grates
Optato uerbis persoluisse bonis.
Mens mihi Cirrheis decerpere uerba uiretis
Esset, & argutis perstrepitare sonis.
Sed tu res rebus forsan debere referri
Censes, heu uerbis & mage facta probes.
Et uerbis uirtus est gratia certaq; Musis,
Demulcet siquidem carmen utrunq; Iouem.
Facta suo cernes etiam sub tempore, uerbis
Interea placeat gratia facta meis.

AD LIBRVM CANTVALEM MAGNO SVMPTV COMPARATUM, eundem dedicando.

LAudibus apta tuis, deuota mente dicata hæc
Aſpice dona tibi, quæſumus alme deus.
Sunt monumenta tuæ laudis, placabilis illis
Sit tua maieſtas quæſumus alme deus.
Atque operis tanti auctóres mercede beatos
Cœleſti facias, quæſumus alme deus.
Quæſumus alme deus noſtris Zephyritidos auras,
Et uer perpetuum daque fouecque roſis.
Noſtra ualetudo noſtrarum læta roſarum eſt,
Quicquid eis nobis poſcimus & cupimus.

AD SVOS.

MEmroth quem dicam ſcitis, fœdiſſimus ille
Aſpectu, lingua, moribus, ingenio.
Viribus incumbit totis quin fraude doliſque
Fortiter in noſtrum perfidus exitium.
Omnem poſſit ut id lapidem mouet, urget et inſtat,
Technis, pollicitis, muneribus, precibus.
Iam porro effecit tantum conatibus iſtis,
Et ſtudio cunctis conſtet ut ipſe quis eſt,
Stultus, ineptus, iners, mendax, temerarius, hæc ſunt
Quæ inde aufert operæ præmia digna ſuæ.

Quam

Quam ieiuna ſua pro cauſa duxit & irrita, quid ni
Semper inertis eunt irrita tela uiri.

AD AVCTVM.

PHillida delicias olim iam ſuffugis Aucte,
An quod ut inſidias læſa uereris auis,
Nonnunquam tamen hæc reuocatur & illice et arte
Sæpius & capitur, aucupis illecebris.
Sic non ſæpe ſuum quem tam ſuſpirat amantem
Artibus innumeris fœmina blanda uocat.
Nec ceſſat uarijs inſtructa modisq; dolisq;,
Quam cadat in caſſes præda cupita ſuos
Samſona uel regem cuius ſapientia nota eſt,
Vt tibi proponas & doceare uelim,
Plurimi in hoc ludo quàm ſuccubuere iacentq;
Scitur, en exemplis omnia plena, caue.

AD IACOBVM GRAMMATEVM PRAGENSEM.

ANtiquus ueteris quæ ſcripſit temporis acta
Paulus, non neſcis quis fuit ille, tuus,
Illa uidere uelim faxis mihi docte Iacobe,
Id liceat dulces oro per Aonidas.
Rurſus inoffenſa hæc eademq; habiturus, & illa
Non ſine quin magno fœnore amicitiæ.

DE FORTVNA ET VIRTVTE.

FOrtuna & uirtus certarunt, uiribus utra
Rebus in humanis præſtet, eatq; prior.
Pro ſe multa tulit fortuna, & plurima uirtus,
Digna fide uirtus, ſors quoq; digna fide.
Fortuna urgebat factis, æterna canebat
Virtus militiæ dona futura ſuæ.
Quas Momus ſpectans toruum per ſibila luſit
Eminus, haud aliter liuor & inuidia.
Certantes tunc ſic multumq; diuq; ſupremus
Iupiter aſpiciens, maximus ille deum,
Virtuti arridens animo uultuq;, ſubinde
Fœlices dixit, utraq; amica quibus.

AD MAGISTRVM IOANNEM HASENBVRGIVM.

VIs noua nobiſcum quę ſunt tibi ſcribere curem,
Dimidium cordis optime Iane mei.
Nobiſcum cũ Rege nouo noua plurima habemus,
Grata eadem nobis, & placitura tibi.
Verum poſthabitis quæ nil ad nos, ea ſcribam
Quæ nos contingunt, ut placitura magis.
Ille pius multo ſemper uenerandus honore
Faber, iam præſul pulchra Vienna tuus,
Culmen quem uirtus pietasq; euexit ad illud

Multimo-

Multimodumque genus artis & ingenij,
Cum Logo Vrsinus, celeberrima nomina uates,
Atque Rosinus amor curaque Pieridum,
Nobiscum sunt huc Regem dominumque sequuti,
Regem inquam quo non clarior alter erat.
Optima principis hac cum dexteritate resurgent,
Vere & florebunt haud dubie ingenia,
Ipsaque spes certa est tanto cum principe nostra
Rursus ad antiquum regna redire decus,
Hæc sunt interea noua quæ charissime Iane
Esse tibi duxi significanda. Vale.

AD D. IACOBVM PISONEM.

QVum Regē nuper ꝓceres sanctusque senatus
Exciperent iusta sedulitate suum.
Tandem purpureos illos dominosque patresque
Ipsa quibus Regis mens generosa calet.
Pro se quisque suo, postquam passimque palamque
Dicere aueret, aue, dicta sequente manu.
Ipse ego Pisonem multa hic uirtute beatum
Ad latus aspiciens principis esse sui.
Pisonem illum inq̄ sub cuius pectore numen
Pallados & Phœbi, Pieridumque latet.
Cuius Pannonios uirtus illexit alendo ut
Ipse foret regi Typhis & Autumedon.
Quem laudant docti oēs, quem cōmendat Erasmus

Ille

Ille ille e raris, unus Erasmus homo.
Excipere ardebam, uisum & contingere dextram,
Sed uetuit pudor hoc, densaq; turba uirum.
Atq; ita dum mea mens causis obstantibus hæret,
Sollicita officium persoluisse suum.
Heu quid agam dixi, non officiosus habebor,
Forsitan aut stolidæ pectora plebis habens.
Ite mei uersus dixi celeberrime Piso
Dicite, Fagellus hoc tibi mittit aue.

AD EVNDEM

QVid sibi uult? Sullā nil iam nisi dia loquētem
Audio, de sanctis moribus atq; deo.
De pacta mercede pijs uitaq; futura,
De pœnis scelerum, sub duce Dite Stygis.
Vnde sibi hęc noua rellígio? unde hic iugibus ardor
Limina sanctorum passibus obterere?
Verborum grauitas, unde ista modestia, cuncta &
Apposita egregias ad probitatis opes?
Ex habitu Curium hūc hodie sanctumq; Catonem
Dicas qui fuerat ipse Cethogus heri.
Miror sic propere mutatum, sed uereor ne
Relligio non hæc sit, sed auaritia.

AD SCHOLASTICOS.

Igneus

IGneus occiduas sól se demersit in undas,
Tempora nocturnæ grata quietis eunt.
Orta mari, distincta polo iam sydera somnos
Suadent, noxque suis atra refertur equis.
Ibimus o pueri consueto membra cubili
Ponemus, recreat corpora fessa sopor.
Ante cubile tamen quam nos repetamus, & ante
Quam sopor in nobis membra caduca liget,
Lucis præteritæ grates soluamus huic qui
Certa lege regit cuncta creata patri.
Dicamus genitor rerum mitissime Christe,
Gratia sit tanta pro pietate tibi.
Qui nos luce foues miseros, qui nocte tueris,
Donis luce suis, nocte silente suis.
Nominis in uirtute tui nos corpora somno
Ponimus, atque thoro membra leuanda damus.
Insidias hostis uafri fac ne timeamus,
Præside te nobis adsit amica quies.
Protege, custodi, benedic, tueare, repelle'
Hinc Acheronteo monstra dicata lacu.
Inuigilet tibi mens, dum languida somnus habebit
Membra, nec hostili sit pauefacta metu.
Sic tibi cum precibus laudes nos mane feremus,
Seruitio genitor plebs generata tuo.

AD D. DOCTOREM
IOANNEM ZIAK ADMINI-
stratorē Pragen̄ Ecclesię

V Contingit

COntingit quoties iustus uexetur inique ut
Non est puniti supplicium meriti.
Quin uirtus ipsa ut sub tali examine crescat,
Permitti hoc tantum crede potesse malis.
Mens etenim recta & puri sibi conscia cordis,
Hoc plus splendescit quo magis atteritur.

AD MAGISTRVM SIMONEM DE AVSIK ARCHIDIACONUM Ecclesiæ Pragensis.

MEntitur Cyclops nostro se carmine læsum,
Mentitur Musas ei nocuisse meas.
Has fugiũt sordes nr̃æ atq; hæc stercora Musæ,
Fœdari hac nolunt proluuie atq; luto.
Turpia scorta canunt passim per compita, mulas
Has metuat quicquam si puduisse potest.

IN MENDACEM QVENDAM, HEXAMETRVM CVM Iambico Dimetro.

MVlta hic narrasti quæ nos uanissima scimus,
Scimus tacemus attamen.
Fabula ne fias discas consultius eia
Loqui deinde & uerius.
Sed nil esse putas mendacia forsitan? erras,
Erras amice plurimum.

Grande

Grande ferunt monstrum Perse mendacia, nosse
Potes legendo plurima.
Si sapis hoc fiet magni tibi muneris instar,
Monere amicum candide.

AD MAGISTRVM BARTHOLOMAEVM NIGRI LVDI LITERARIJ Praefectum.

Sapphicum cum Adonico.

FEsta per magnæ meritis puellæ,
Cuius exornant hodie per orbem
Cerei, Panchæaq; thura sacras
Largiter aras.
Hoc remittatur puerile ludis
Agmen optatis tibi sic amica
Sentias semper fieri puellæ
Numina diuæ.
Senties & me tibi tam fauentem
Quam uoles & quam fuerit necesse
Mentis inscribam tabulæ id, meoq;
Pectore figam.

AD RVFFVM QVENDAM

RVffus es, et ruffam occultas sub pectore uulpē,
Ruffus es & uulpē Ruffe colore refers.
Ruffus es & ruffa contectus uulpe superbis,
Ruffus consilio, ruffus es ingenio.

More catę uulpis gestis & dulcia garris,
Obijcis insidijs callida uela tuis.
Rumpantur ne uela caue, quam multa paterent?
Insidiæ, fraudes, plurima furta, doli.
Ruffe dabis nobis condignas tempore pœnas,
Magnum Ruffe reus experiere malum.

AD IOANNEM MANTVANVM CIVEM PELSINENSEM.

IAm fuit in uotis extremas figere metas
Blandicijs Paphiæ sollicitisq; dolis.
Iam mea mens fuerat sæuas extinguere flammas
Et tandem proprio uiuere consilio.
Hoc ego conceperam, sed quid scelerate Cupido
Non frangis? quid non sub tua regna trahis?
Igniferis & si pridem confixa sagittis
Pectora flagrantes experiere faces.
En iterum & grauius maior mea pectora feruor
Occupat, exanimat, despoliat, lacerat.
Lidia formosis pectus configit ocellis,
Mens ardet, totum Lidia pectus habet.
Lidia pulchra decensq; comis & pulchra colore,
Pulchrior haud nostro cernitur ulla foro.
Non aurũ nec onyx radiat tam quam nitet illa
Vultu, luminibus, pectore, fronte, genis.
Quæ iurat nimios me propter habere dolores
Se porro & miseram ni meus adsit amor.

Nec late

Nec latet haustus amor, quin blãde Cupido labores
Vtcunq; erumpunt per sua signa tui.
Erumpunt signis nonnunq̃ obtutu & ocellis,
Qui porro certi sunt in amore duces.
O quoties oblita sui loquitur mihi, qua licet, ipsis
Nutibus & uisu, quam uelit esse mea.
Hoc est quo rapior, magnos quo pectoris æstus
Sustineo & dominæ uincula dura meæ.
Cogito iam nisi complexus cupioq; puellæ
Heu dolor in tepido sæpe iacere sinu.
Vt sua colla premam, labris ut dulcia figam
Oscula Cecropijs o mage grata fauis.
Improba sed fortuna meis contraria cœptis,
Insidias misero nocte silente struit.
Inuidus en nostro nimium qui rumpitur igni
Nocte sedet media, ianitor ante fores.
Ianitor ante fores sæuis instructus & armis,
Impedit ah demens, hoc quod amare uocant.
Ille mihi gemitus quot, quot suspiria tandem,
Insomnem & noctes quot uigilare facit?
Eripit ille mihi exoptatæ gaudia noctis,
Eripiat uitam torua Megera suam.
Suauia quot data blanda mihi quot rapta fuissent?
Fœlix nox hæc si hic non nocuisset erat.
Aligeri possunt quid blanda Cupidinis arma,
Adrisus dulces, flammea tela, ioci.
Quas uires habeat, quod regnum numen aquosæ

Matris item, iam plus quam ſatis experior.
Quin iam neſcio mẽtis inops quid agamue ſequarue
Sic poſſeſſa ferus pectora uerſat amor.
Conſule Iane precor rutilas quo pectore flammas
Extinguam, pereo, conſule Iane precor.
Nam morior curis, mea mens iam perdita torpet,
Vritur, & fellis ſentit amariciem.
Non cibus ora iuuat, curas non mollia uina
Excipiunt, ſomnus non mea membra fouet
Colla tenent laqueos, animo ſunt ſtuppea uincla.
Oſſa faces lacerant, corda peruſta dolent.
Sic placitũ eſt puero pharetram qui geſtat & arcũ,
Sic dominæ Veneri, quæ mea uota rapit.
Non niſi per gladios ibit ſæuosq; per enſes
Noſter amor, tenebris inuide conde caput.

AD VRSVM.

ILlum cur metuam, quantas quin poſſidet ille
Sunt mihi dicis opes, cur uel honore colam?
Sæpius inculcas hæc, quin & ſemper & uſq;,
Semper opes iactes non decet Vrſe tuas.
Datq; rapitq; ſuas uires fortuna repente,
Ne te reſtituat ſuſtulit unde caue.

AD SIMONEM VVLPIARENSEM.

Ferre

Ferre nouũ uatem noua quis nõ carmina credat?
Tu nouus eia nouum pange poeta melos.
A teneris sacræ quem lactauere sorores,
Hic poterit sacris promere digna choris.
Aonas in montes teneris te frater ab annis
Duxit, & alternam præstitit atq; lyram.
Ergo age sume leues calamos, cytharamq; sonãtem,
Blanda parum placidæ concute fila lyræ.
Tange Chelim, numeros expectatumq; poema
Profer in apertum, saccara mixta fauis.

AD EVNDEM

Mysta nouelle Camœnali sacrate cohorti,
Artificiq; tibi Phœbe beate Chelis.
Ægide protectam qui Mnemnosynesq; propagem
Consectans, unguem porrigis Appiadi,
Tu sterilem Cyrrham Simon siccamq; Aganippem
Haud colis, excultum non populare sapis.
Nanq; tui ludunt uersus, carmenq; iocatur,
Ridet & Hibleis plena Thalia fauis.
Ibit ad occasum recines mox quicquid ab ortu,
Testis & Hesperiæ uocis Eous erit.
Tellurem tua trans altasq; ferentur & undas
Carmina, uis uocis tanta futura tua est.
O deus, o cœli fulgentia tecta, paratur
Quanta tuis Musis gloria, quantus honos?

Fatalem

Fatalem glebam Thuſcus cum uidit arator,
Cornua tunc uel quum Cippus in amne ſua.
Non ſtupuit tantum certe ille uel ille, diſerta
Simon ego quantum ſcripta legendo tua.
Macte noua uirtute pugil, ſic itur ad aſtra,
Venit in ora uirum ſic Maro ſic Cicero,
Dulces per Mopſi calamoſq; pedumq; Menalcæ,
Per uitulam Licidæ per Coridonis oues.
Plura tui nobis profer monumenta laboris,
Profer, erunt noſtris auribus iſta cibus.

AD NOBILEM EVNDEM-QVE INSIGNITER ERVDITVM Dominũ Venceſlaum Album Vra-ſium, Regni Bohemiæ Vice notarium de ſe opti-me meritum.

Sapphicum cum Adonico.

EN dies Iani celebris & annus
Orbitam curſim renouat perennem,
Diſtrahor quo te celebrem patronum
Munere donem.
Splendidas ueſtes, Scythicos ſmaragdos,
Aureos nummos tribuunt potentes,
Pauperem ſed me fugiunt ſuperba hæc,
Munera uatem

Miſit

Misit hac quondam Latium superbum
Luce congestas oriente gemmas
Cæsari magno pateras & auri
Pondera fului.
Optimus uates populi Quirini
Misit at uerbis potiora nexis
Cæsari Augusto ruitura nullis
Munera sæclis.
Nunc iacent annis uitiata longis
Dona quæ sanctus tribuit senatus
Munus at uatis iuuenescit almi
Semper in orbe.
Sume uiuaces igitur Camœnas,
Quæ tibi læta exorientis anni
Lesbiæ saphus modulis precantur
Fata diesque.

AD PETRVM VVLPINVM.

QVis te Pegasei fontis ueneratur alumnus
Nescio ais, quid scis æstimo nescio ais.
Pagina mittentis subiunctum nomen habebat,
Ipsa Iouis soboles nuncia Musa fuit.
Esse quid hoc dicam, falso causaris amice,
Nos auges istis scilicet antithetis.

AD LEONARDVM PANNONIVM.

VEllera phrixei pecoris tepefecerat aureus
Iam tunc ſol placidi tempora ueris agens.
Incipit exculto dum ſemina cultor agello
Spargere, quæ plena poſt modo falce metat.
Multiplici a nobis hoc ueſtis tempore abiuit,
Cum prece, tum ſtudio, pollicitisq; tuis.
Flammiuomum Phœbus iam deſerit ecce Leonem,
Cuius ab igne Ceres torrida facta riget.
Iam fert Erigone flaua de meſſe maniplos,
Matris Eleuſinæ dona refecta iacent.
Pampineæ Baccho turgent ſub uitibus uuæ,
Dulcia iam cito ſub pede muſta fluent.
At non iſta tamen tangunt te, nonne priuſquam
Perſephones ibunt cornua pulchra ſemel?
Pollicitus reditum noſtrę Leonarde Lacernæ es,
Ah pudeat, tardis paſſibus illa redit.
O male grate mihi, fido ueteriq; ſodali,
Non pudet o ſanctam ſic temerare fidem?
Deſectas fruges iam condit in horrea meſſor,
Incipit atq; aliud ſpargere ſemen humo.
Iam ſatur autumnus reddit ſua dona, Lacernam
Iam tandem quæſo tu quoq; redde meam.

Ad reue.

AD REVERENDISS. P. D. DOCTOREM IOANNEM ZIAK administratorem Pragensem.

VT fieres nostræ columenq; caputq; cateruæ
Et multis unusq; præpositus patribus.
Qui partes obeas nostri Archipræsulis, & qui
Officij teneas sede uacante uices.
Non sine mente dei, cuius sapientia fecit
Quicquid habet mundus, euenit istud opus.
Scilicet ad uitæ meritum documentaq; sanctæ
Legis & humanæ uiderat omnipotens.
Sicq; tuæ uoluit uirtuti digna referre
Præmia sicq; suo consuluisse gregi.
Quem tu temperie certa moderando beabis,
Et tibi uirtutis accumulabis opes,
Gratia magna igitur domino referenda polorũ est,
Qui nobis uoluit prospicere atq; tibi,
Nobis quod tribuit te uir celeberrime, cuius
Esset ingenio multa reposta salus.
At tibi, quod sacræ uoluit præferre cohorti,
Præsulis & nostri contribuisse uices.
Vnde tibi surgit laus, & quam nulla abolebit
Prorsus si bene te gesseris obliuio.
Gesseris eia bene te, si maiora notabis,
Rursus & ima tuis, si aspicias oculis.

Quod tua si uirtus iusta explorare bilance
Hoc uolet ut debet, sic bene pascet oues.
Nec minus & propriæ tandem fratrumq; saluti
Adijciet digni pharmaca subsidij.

AD NICOLAVM RADNICENSEM.

QVę Nicolae iubes sunt grandia, nec bene nřis
Conueniunt Musis, ingenioq; meo.
Vis dictem Latio argutas tibi more loquelas,
Quæ mulcere uirum corda diserta queant.
Qualibus ad proceres, prò rostris inq; senatu,
Arguto loquitur murmure causidicus.
Rhetora uult hæc res, qui campos Quintiliani
Pernouit magnas & Ciceronis opes.
Vis recinam tandem sacris fluitantia riuis
Carmina uocali concrepitante Cheli.
Induat Æacide Tersites cogis ut arma,
Vis ut det tandem roscida mella culex.
Est tibi plus mentis, tibi cor limante Minerua
Acrius illudis quod petis ipse potes.
Cur aliena petis? tuus hæc tibi præstat agellus,
Quo tandem seruas, utere quæso tuis.

AD DOCTOREM FVXMON CONSILIARIVM MAXIMILIANI Cæsaris.

Gloria

GLoria militiæ Regum decus Induperator,
Germanæ ſpecimen gentis & orbis honos
Excolit Iſthmiacas prona quod mente Camœnas,
Quod numen Phœbi Maximilianus amat.
Quod pius Aonias lauri de fronde corollas
Imprimit, & propria uatibus ipſe manu.
Nil mirum ſua maieſtas cum digna cohorte
Pieria ſemper plurima conficiat.
Illius illuſtres tot parti ex hoſte triumphi,
Virtutis ſplendor, relligio, pietas,
Expoſcunt uates, ſæclis qui geſta futuris,
Mellifluis ſignent annua carminibus.
Ingenium ſuperat uatum ſed Maximilianus,
Dicere uix laudes poſſit Apollo ſuas.
Vt potis eſt omnis tamen, huius dicere laudes
Tentabit uates, qui ſua ſerta gerit
Serta gerunt multi, cantabant Maximilianum
Multi, permulcet templa ſuperna melos.
Si quid habent ueri uatum præſagia certe
Cæſaribus maior Maximilianus erit.

IN REDITV EX ITALIA DOCTORIS IOANNIS DVBRAuij ad ſuos.

VIſurus patriam & ſuos Penates,
Et tardos ſenio pios parentes,

Fratres cunctique sororibus et ipsos
Exortos generis nouos Quirites,
Atque ipsam ueteris sodalitatis
Charam multimodis sibi cohortem,
Doctrinæ a Latio parente uenit,
Noster Dubrauius sodaiis ollm
Certe iam reuerendus ob beatas
Virtutes uario labore partas,
Quas tot iam comites habet fideles?
Venit post studiij peracta longi
Tandem tempora multa, post labores
Exhaustos, uigiles tot atque tantos,
Venit prospere & auspicato, namque
Optatus nimis, & nimis cupitus,
Et uenit bene porro, namque secum
Adsunt Pierides, Apollo, Maiæ
Cum gnato Charites, sophia & omnis
Linguę copia Romuli Remique,
Est quur hunc hilarem diem sodales
Sumamus, celebremus & colamus.
Nostri turba gregis dicata Phœbo
Ter ternisque sororibus Camœnis
Actutum facito huc adeste, adeste,
Omnes scilicet atque gestientes,
Et dulcissima uerba garrientes,
Ituri & reduci huic aue atque salue
Dicturi, ueteris sodalitatis

Mellitæ

Mellitæ memores, amoris atq;.
Heus heus iam facite huc adeste adeste.

AD NOBILEM EGREGIEQVE LITERATVM DOMINVM Florianum Chryspechiũ Sereniss. Regis Ferdinandi apud Boemos Secretariũ Primarium.

CHryspechi eximium decus bonorum,
Musarum quoq; nuper & mearum
Facte præsidium nouum & cupitum.
Quod leuo ut Ioue & alite auspicato
Sit, Musæ hæ tibi deditæ & dicatæ
Id multa prece postulant, rogantq; .
At quod non graue turpe nec putasti
Has legisseq; prosequiq; digna
Lectas cum pietate tum fauore,
Magni muneris id loco reponunt.
Atqui tot cupiunt tibi salutes,
Tot grates referunt habent aguntq;,
Quot uel signa micant tacente nocte,
Vel quot tristis hyems riget pruinis,
Cui grata est pietas amorq; recti
Regnator superum tibi rependat,
In sublime uehatq; prouehatq;,

Te res

Te res atque tuas tuam domumque,
Chryspechi eximium decus tuorum.

AD AMICOS ROGANTES TOTIES SE VT INVISERET.

QVod studio tanto dulces optatis amici,
Chara mihi multũ quin et amãda cohors,
Vt ueniam uos & uideam totiesque rogatus,
Optatum hoc uobis munus ut exhibeam.
Verus amor, syncera fides, propensa uoluntas,
Olim iam bene sunt omnia nota mihi.
Certe quam uolo, si possem, uos sæpe uiderem,
Dextris atque datis mutua uerba darem.
Quin & si quid opis uobis adferre ualerem
Huius & ex animo sedula cura foret.
Sed uotis obstant nostris quam plurima agenda
Tanta eadem quæ non postposuisse licet.
At postquam dabitur diuum mihi munere curis
Implicitum tantis exeruisse caput.
Quod fieri spero post tempora pauca futurum
Et fallor nisi post sexue decemue dies.
Visurus ueniam tunc atque affabor amice
Contemplans oculis pignora uestra meis.
Aspiciam patrum sedes atauumque Penates,
Grata mihi quondam flumina, prata, nemus,
Prata nemus uisam & syluam qua sæpe canoras
Insidijs fueram ludificatus aues.

Olim

Olim ubi si drosdæ uel congessere palumbes
Tam quæsisse fuit sedula cura mihi.
Plura alia atqꝫ etiam quorum meminisse suaue est
Quæ mihi tunc puero grata fuere nimis.
Hic prostratus humi nostrę sub tegmine fagi
Olim iam patriæ quam posuere manus.
Lætus uersiculos tenui meditabor auena
Quos fagi incidam cortice uersiculos,
Vt crescant pariter fago crescente, legant quos
Syluarum & nemorum numina Amadriades
Fagelliqꝫ legant quos & quæ surget ab illis
Posteritas, Musis læta futura meis.
Hoc faciam ueniens, erit hæc mea magna uoluptas,
Gratior hac olim qua mihi nulla fuit.
Iam iam tandem adero, fœlix oriatur ab Indis
Illa dies nobis, iamqꝫ sit illa dies,
Optatos iam qua tandem complectar amicos
Qua dabo post dextram, plurima uerba meis.

AD D. IOANNEM HODIANVM ALIAS HODIEOVVSKY suarum Musarum Patronum

Pleris ex animo, quoniam de munere, læta
Nostra tibi grates ut bene grata refert.
Res peregrina sibi quoniam donum hoc mage læta
Exiguo quanquam dulcis amice tuo.
Hęc neglecta mihi nonnunq̃ garrit in aurem,

Y Vt cui

Vt cui multa fides ſpesq; ſalusq; ſiem.
Quod genus hoc hominũ, quę gens hęc barbara tm̃
Nulla cui Phœbi eſt cura nec Aonidum?
Forſitan eſt Thracum gens quę diſcerpſit ad Hebrũ
Orphea, caſtalijs gens inimica uadis.
Sæpius impetit hæc ſic meq; measq; ſorores,
Vt ſtolidum ſimus uileq; mancipium.
Nos olim melius comites Naſonis habebat
Barbara gens Ponti, ſit licet illa ferox.
Vis igitur recinam, uis plectra fidesq; laceſſam,
Neglectam præſtat dilaniaſſe chelim.
Viuat hic æternum fœlix quater atq; beatus,
Qui licet exiguum hoc munus habere dedit.
Qui docto trahitur dulciq; poemate, cuiq;
Cordi nos tantum turba nouena ſumus.
In nos hic animus refert memorabile donum,
Quo maius quod det, non opulentus habet.

AD DOCTOREM IOANNEM ZIAK ADMINISTRATOREM Eccleſiæ Pragenſis.

AVres ſi quatit, incutit, laceſſat,
Si frontem ſtriat & moleſtat uſq;
Scriptis illepidis, ineruditis,
Fagellus tuus, haud moleſtiorem
Huic te præſtiteris rogamus una
Omnes ſynceriter nouem Camœnæ,

Si posset uoluisse crede tecum
Hunc egisse nitore Tulliano,
Et lusisse lepore Ouidiano.
Sed primum Aonium nemus & undas,
Lucos atq; uireta nostra pergit
Nobis deditus ingredi satelles.
At nondum madet hoc liquore tantum,
Vestrum possit ut irrigare pectus,
Verbis roridulis uenustulisq;.
Quem nos post aliquando & instruemus,
Et rorabimus irrigabimusq;,
Reddemusq; uirum, referre tandem
Fidis ut ualeat uices amicis.
Hunc commissum habeas tibi rogamus,
Quanti nos facias patescat illi,
Nil nobis facies magis cupitum,
Nil gratum magis aut uoluptuosum.
Sic nomen geminas tuum sub arctos
Nunq̃ nos morientibus feremus
Musæ carminibus, benigna nobis
Virtus scilicet est, suumq; numen.

AD EVNDEM DOCTOREM IOANNEM ZIAK ADMInistratorem Ecclesię Pragensis, de quadam electione.

ESse comes recte factorum gloria debet,
Et meritum debent præmia iusta sequi.
Hoc etenim crescũt moderamine commoda quæq;
Publica, sic hoc se sensit habere Solon.
Hoc etiam ueteres olim sensere Quirites,
Imperij quorum terra fretumq; fuit.
At iam clara suo uirtus fraudatur honore,
Præmia conspicuum iam scelus eius habet.
Impactum uulnus uirtuti haud debile certe,
Non nescis, eidem nec leuis iniuria est.
Haud tibi inexpertũ est curuos deprehẽdere mores,
In cute scis quæ sit intus & illa lues.
Hoc offensa dolent multorum corda piorum,
Hoc fert indigne qui sapit omnis homo.
Vera minus Phœbi sunt Cumanæq; Sibillæ
Hoc responsa breui carmine quod sequitur:
In precio est nummus, collecta pecunia laurum
Vincit, & a censu statq; caditq; fides.

AD IMAGINES FABRICARVM ECCLESIAE PRAGENSIS ad uiuas facies pictas.

QVi templũ hoc sanctũ magno ueneratus honore est,
Cuius pars etiã quãtulacunq; fuit
Huc facies Simon Villaticus intulit istas,
Et quam suspexit præstitit Ecclesiæ.

Ad ma-

AD MAGISTRVM BARTHOLOMAEVM, COLLEGII PRAGENSIS maioris Præpositum.

QVam mea sint Musis accepta poemata nosse
Hoc argumento Bartholomæe potes.
Quod tibi reddendi hæc hodie uoluit sibi partes
Sumere, & ex illis una nec inferior,
Fortunate cui faciem uultumqꝫ uenustæ
Inseruire student Castalides dominæ.

AD MARITVM QVENDAM.

QVid facis imprudens ah cur in lustra ferarum
Mittis ouem multis in loca plena lupis?
Seruanda est studio uigili cohibendaqꝫ claustris,
Cingenda atqꝫ altis sepibus ista seges.
Abde domi potius moneo non credulus omni
Sollicitat fures res tua, claude fores.

EXVSTA CIVITATE ROKYCZANA AD AMICVM ET & alios eadem calamitate afflictos.

VEnit & offendit mire mea pectora uestri
Me miserum tanti nuncia fama mali.
Vestras in cineres abijsse domos, perijsse

Tempore quæ longo parta fuere bona.
Non dubium turbatum teq; tuosq; fuisse,
Hoc tristi nimium terribiliq; malo.
Cum breuis hora tibi fortunæ commoda tanta
Abstulit, infœlix & nimis hora nocens.
Ipse ego q̃ dolui sane non dicere promptum est,
Tanta clade mali fractus & iniuria.
Quin scribenti hæc ah quam tristi pectore fluxit
Vbertim ex oculis plurima gutta meis.
Non etem̃ minus hoc nostrũ cor damna perurunt,
Quam simili casu si mea læsa forent.
Communis dolor est tecum mihi dulcis amice,
Teq; secundum alijs omnibus indoleo.
Et uideor luctus uestros gemitusq; uidere,
Flentes alloquijs uos releuare meis.
Rebus id exoptem præstare magis, sed utrumq;
Quam uellem minus est, quamq; requirat opus,
Quod possum facio pietate coactus & ipso
Inter nos ueteri fœdere amicitiæ.
Fidite & ad dominum uestras conuertite mentes,
Abstulit, at multo reddere plura potest.
Omnia namq; potest, ablatis plura reponet,
Fidite, solatij est auxilijq; pater.

AD VITVTVM

Suspectum

SVspectum quendam furti quidam atq; seueri ij
Clamabant dignum terq; quaterq; mori.
Idem post paulo ij mirum ut nil deinde seueri
Facti, hunc cœperũt tandẽ adamare. Quid hoc?
Quæris? dispeream si non adamare seueri ij
Cœperunt eadem furta, Tace, teneo.

AD MVSAS

NVnc gaudere licet uobis o Corricidum grex,
Grex Iouis ætherei soboles & certa dei mens,
Mens agitans pectus uerbisq; regens placidis os,
Os insigne uiri excolit en nunc Cæsareum uos,
Vos decus imperij Maximilianus alit nunc,
Nunc certe dignus quem solum uestra canat uox,
Vox hilaris semper uicturaq; Castalidum ros,
Ros mentes & corda rigans, hinc Aonius fons,
Fons sacer Aonius uatum hinc est & uigor et uis,
Vis porro de sede poli uenit, ipse tamen dat,
Dat manibus sacris en munera Castalidum nunc,
Nunc hilares si quando deæ blandũ resonet uox,
Vox celebret famã domini, quam nulla tegat nox,
Nox obscura & amica malis, ipsum foueat lux,
Lux meriti precium post illi fata detur mox.

AD DOCTOREM IO- ANNEM DVBRAVIVM.

Ianus

IAnus ab Hesperia patrias remeauit ad oras,
Plaudite Pierides.
Ianus honos & amor patriæ lux inclyta Ianus,
Plaudite Ianus adest.
Sed non solus adest, eius Phœbus Driadesq;
Concomitantur iter.
Barbita, plectra, chelim, Boemorũ Ianus ad oras
Fert simul & Cytharas.
Fert uirides hederas secum, lauriq; corollas,
Graiugenumq; sophos.
Læta dies albo nunq̃ caritura lapillo,
Sit precor ista dies,
Qua Ianus patrias trans Alpes uenit ad oras,
Dogmata multa ferens.
Thus thymiama crepẽt aris uox personet urbẽ hęc,
Ianus io rediјt.
Heus Libethrides sacra Iano turba sorores,
Ferte salutis aue.
Fagellus gaudet fausto tibi Iane reuerso,
Gaudet, ouat, iubilat.
Fagellus tibi commendat se Iane reuerso,
Dicite Pierides.

DE INVIDIA.

INuidia est mendax, tamen est certissimus index
Virtutis solidæ, hoc nesciat illa uelim

Scilicet

Scilicet inuidisse deinde hanc nolle putarim,
Vsque adeo ipsa mala est, si hoc sciat inuidia.

IN REDITV MAGISTRI IOANNIS HOZBVRGII a Lipsia.

NOster adest Hozburgius eia uenite sodales,
Quē sequitur magnus cū Cicerone Plato.
Pierides blandæ, & Charites, & pulcher Apollo,
Et Pallas quorum concomitantur iter.
His comitatus adest Hozburgius, illa Boemis
Omnibus infert haud numina nota suis.
Illi debemus certe quam plurima, & illis
Ignotis pariter scilicet hospitibus.
Excipiamus eum reducem post tempora tanta
Cum sacræ tantis numinibus Zophiæ.
Quod si non aliud nunc, uerba feramus amica,
Signa bonæ mentis, uerba & amicitiæ.
Huc ergo properate citi, quicunque adoletis
Aonidum castis sabea thura focis.
Salue & aue dictis his omnia læta precemur,
Dextris atque datis congratulemur eis.
Vt rediisse suum agnoscat gratum, comitesque
Nobis hos tantos perplacuisse suos.

BIBONES STRENNVI AD BACCHVM.

DVlce fluis bone Bacche, ſub intima te quis
Non colit, ille ſitim non niſi ſiſtat aquis.
At nobis colimus qui te tua ſacraq;, uini
Multa boni dona dolia ſancte pater.
Nanq; ita te læti tandem læto recinemus
Carmine deplentes uaſa meraca mero.
Atq; tuis aris dabimus tunc thura precesq;,
Lætitia infirmis & capite & pedibus.
Dicemus remeans quondam tu uictor ab Indis,
Intuleris cœlo ut Gnoſida ſyderibus.
Et tantis etiam ut meritis repleueris orbem,
Cæcropium dum mel repperis atq; merum.
Feceris & quæ præterea his paſſimq; palamq;
Quin & nunc facias qui tua ſacra colunt.
Ponemusq; tuas uites ex ordine, & ulmos
Iungentes ſociam deniq; cuiq; ſuam.
Gratum quodq; tibi ſcimus feriemus ad aram
Progenitum fortaſſe in tua damna caprum.
Interea offerimus fore nos tibi Bacche paratos
Semper & officijs nocte dieq; tuis.

CLIENTES LIBERI PATRIS.

SAcra corymbiferi ſocij celebremus Iacchi,
Eſte procul mœror, ſeria, cura, labor.
Cincti flore comas digitis ardentibus auro,
Voce hilari tandem & dulce ſonante cheli,

Certemus

Certemus plenis crateribus optimi amici,
Neue neget quisq̃ reddere uelle uicem.
Quod si quis nolit transgressor legis amicæ,
Indignus Baccho non nisi potet aquam.
Nos plenas prompte quo demereamur Iacchum
Adbibimus phialas rursus & ebibimus.
Sic decet & fas est patris pro gloria Bacchi
Audere & maius nonnihil atq; agere.
En iterum infirmiq; pedum, infirmiq; palati,
Pœnæq; Phidiacæ quam similes statuæ.
Attamen in uires fessas incumbimus, atq;
Non minus adbibimus, rursus & ebibimus.
Pro meritis patris tantoq; sopore Liæi,
Num fuerit mirum, si quis & intereat?

AD D. IOANNEM A BI O-DIEIOVV GRATVLANTES SIBI ATQVE ex animo fauentes delatum Regni Bohemię uice iudicionatum uiri boni & amici.

SI uirtutem aliquando fuit fortuna sequuta,
Rite fuit, tibi dum nuper amica fuit.
Id fœlix eadem faxit fortuna tibi sit,
Inque tuum maius prouehat omne decus.
Sit licet instabilis uirtus tamen hanc tua sistet,
Dum fias semper tu modo qualis eras.

De quo nil dubij, quin est ut plura putemus
Virtuti & meritis esse parata tuis.

AD DOCTOREM ISY-DORVM A HOSTAVN.

Iusiurandum serua.

CVstodire iubet iusiurandum Cato, legis
Christi etsi fuerit nescius ipse licet.
Qui fit nomina uos Christo qui quæso dedistis,
Fiat ut id uobis ludibrium atq; iocus?
Eheu quod quasi teste deo firmum asseruistis,
An non firmiter id usq; tenere decet?
Linguæ mendacis uindex est certus & ultor
Iudex uenturus, iustus in omne genus.
Illius est meminisse bonum timuisseq; poenam,
Damnatos quæ iam porro parata manet.
Consule quisq; sibi, sero medicina paratur
Cum suprema operum iam ratio exigitur.

IN REDITV FOELICI DOMINI PETRI BECHYNIANI AB ITALIA,

Ad uirtutum literarumq; bonarum studiosos Simon Villaticus.

PHœbum, Pallada, filiumq; Maiæ,
Suadelam, Charitesq; Virginesq;

Ipsas

Ipsas ex Helicone monte Musas,
Et quæcunq; fouentq; diliguntq;
Artes numina sancta, & eruditos,
Trans Alpes Athesimq; Noricumq;,
Has nunc fama refert adisse partes
Hæc & barbara regna, qua Boemus,
Vicinus Getico rigori & ipsi,
Quæ non occiduis lauatur undis,
Vrsæ, Parrhasijs Trionibusq;,
Versat uomere & innouat feraces
Agros, & Cererem canit beatam,
Nec te Bacche tacet, tuasq; uites,
Quin laudat, colit & frequens salutat,
Has inquam Latijs adisse ab oris
Partes numina tanta, fama constans
Passim nunciat, idq; amore alumni
Petri nobilis, & sui decoris
Ingentis generis Bechyniani,
Hunc ut delicias suas reducant,
Post tot iam studij sui labores,
Ad sedes patrias, & eruditum
Iam tandem patriæ & suis amicis
Vt reddant, Veneraris ergo sancta hæc
Quisquis numina, amas tot atq; Petrum
Clarum dotibus, eruditione,
Virtutum titulis, domus uetustæ
Claro stemmate, & optimis amicis,

Adsis, salue & aue huic & his subinde
Dicturus reuerenter & daturus
Cum dextra bona amice amica uerba.

AD SOMNVM

Vitæ pars melior Somne o gratissime uiuis,
Humani portus profugiumq; mali.
Communis requies, medicinaq; grata malorum,
Mulces qui curas, qui mala multa domas.
Pax animi, fuga curarum, acceptissime fessis,
Tandem post operę pensa soluta grauis,
Te sine nil sensus nil membra humanaq; possunt,
Quin sensim sine te languida deficiunt.
Diceris & recte pater, instaurator & almus,
Passim uirtutis scitur id esse tuæ.
Eia ueni nocti gratissime, lucis amice,
Ægri instaurator corporis atq; animi.
Eia ueni optatumq; oculis immitte soporem
Nostris & placida membra quiete foue.
Quousq; suum repetant cursum ex te uiribus aucti
Sensus, & placida mens reparata uice.

AD GEORGIVM LOGVM, REPETENS LIBRVM Pontani de prudentia mutuo acceptum.

AEdes ad nostras nuper clarissime Loge
Venisti, absq; tamen nō grege Castalidum.
Qui te sic amat & sequitur quam tempore longo
Per mare, per terras hunc sequebare cliens.
Tunc Phœbū certe & genitū Maiæ esse putabam
Mecum, Pierij gloria Loge chori.
Nam tuo cum studio ingenti tunc mellea uerba
Hausissem admirans multimodumq; Zophos,
Me tunc destituit prudentia, teq; sequuta est,
Theijciam ut quondam saxa nemusq; fidem.
Ne forte imprudens igitur doctissime Loge
Permaneam, hanc ad me quæso redire iube,
Si non illa tuæ ueniant o Loge Camœnæ
Mellitæ, doctæ, uere Heliconiades.

AD IOANNEM A HO-DIEIOVV REGNI BOHEMIAE uice iudicem.

O Quam te Choterina beant tua cōmoda, plena
Illa uoluptatis delicijsq; suis
Florea prata, lacus, colles & amœna uireta,
Conspicuus tandem nobilis atq; situs
Valles & nemorum dulces sub solibus umbræ,
Camporum tractus, auia lustra, feræ.
Prætereo syluas, saltus excultaq; rura,
Et pecudum multo pascua grata gregi.
Hinc est ut fueris semper charissima porro

Cum

Cum primis dominis o Choterina tuis.
Hodierij tenuere uiri te, nobile germen
Ex atauum ducens sanguine stemma uetus.
Atq; tenent hodie quin hac commoditate tuorum
Affecti, seruant custodiuntq; tua.
Illis atq; tibi Choterina quid eia precabor?
Omnia fausta, deum propiciumq; precor.

AD SVOS

VIr quisquis bonus esse curat,
Leges, iuraq; seruat et tuetur,
Si non disperеam bene atq; recte
Nos possimus haberi & usq; dici
Hi, certe merito bonoq; iure
Possumus, siquidem tenemus idq;
Constanter studioq; pertinaci
Leges iuraq;, sed tamen magis, quin
Præter cætera, Franta quæ Bohemus
Fixit, legifer ille Pelsinanus.

EPIGRAMMATVM LIBER TERTIVS.

AD FRANCISCVM PRAECEPTOREM SCHOLASTICORUM apud Rokycianenses.

ERVDITISSIMAE LVCVBRATIONES Desyderij Erasmi Roterodami uiri in omni doctrinarũ genere (ut noſti) incomparabilis, quantopere inſtituãt me & oblectent, haud facile dixerim. Ob id, ita me deus bene amet, hominem ſic amo & ueneror, ut nunq̃ mentionem eius abſq; merita dignatione faciam. Quinimo nomini tanto ipſe prompte & aſſurgo & libenter, Quod ut animo præſenti faciam, cum mortalis illa ingenij eius beataque ubertas, tum in rempublicam literariam, omnemq; orbis Chriſtiani uniuerſitatem eius merita ſanctiſſima, eademq; plurima me monent hortanturq;. Non ita pridem cum legiſſem ſuorum opus colloquiorum, pueris quidem inſcriptum, ea ſane tamen continens, quæ canos ſenesq;, atq; omnis etiam generis homines Chriſtianos, qui modo non penitus a ſana mente exulent, inſtituant ſancte, mirificeq; delectent, cõtineri non potui, quin

more meo ex affectu (qui mihi est in hoc æui nostri illustre iubar) aliquot saltē luderem endecasyllabis, quos tibi qui Dumeto meo cum aliis eadem Colloquia prælegis censui transmittendos, ut Dumetum meum uniuersamq; cohortem tuam, ad lectionem studiumq; bonarum literarum, uitæq; honestatem, redderem alacriores, quos illis ediscendos si tradideris, rem mihi gratam facturus es, neq; ipsis inutilem. Sed iam ipsos legunto Endecasyllabos.

PHALAECIVM ENDECASYLLABVM.

HVc huc si uacat eia adeste adeste
Magni progenies Iouis Camœnæ,
Hausuræ ambrosiam fauosq; melq;
Sermonis latij & boni & probati,
Quo doctissimus idem & optimus uir
Ille, ille omnigenæ eruditionis
Princeps, & pater & decus perenne,
Scribit, quin loquitur docetq; Erasmus,
Quo non doctior extat alter hercle,
Non de sanguine Romuli Remiq;
Atq; ipsis etiam nec ex Achiuis,
Tot tantisq; bonis Erasmus ipse
Fortunatus homo, beatus atq;
Dignus prorsus ut & latina Syren

Nostri

Nostri & gloria sæculi canatur
Passim & sic ueneretur atque ametur,
Sancti & multimodi merentur istud
Eius atque etiam exigunt labores.

AD LIBRVM MVTVO ACCEPTVM, SAPPHICVM cum Adonico.

AD tui doctos domini penates
Iam redi grates referens opimas,
Si tamen frontem trahat & libelle
Te increpitabit,
In caput nostrum refer, atque dicas
Me moræ causas tribuisse, tandem
Gratiam quis scis parias peremptam
Rursus elenchis.
Dissuet frontem propere striatam,
Mitior blanda ratione factus,
Frangitur uerbo rabiosa dulci
Ira furorque.

AD IOANNEM CANTOREM CIVEM PELSINENSEM.

IVstitiæ sacrosanctum per nomen & æqui,
Perque fidem simul & per pietatis opes,
Per titulos famæ celebris, qua magnus haberis,
Virtutesque tuas ingenitumque decus,

Dulcia perq; tui ſermonis mella politi,
Per dotes animi, corporis atq; bona,
Per Chriſtum dominum intacta de uirgine natum,
Et per cœleſtes numina ſancta choros,
Sume patrocinium ueteris conſultor amici,
Dirige conſilijs & tueare tuis.
Quippe ſalus in te ſolo mea tota recumbit.
Non me deſtituas, non patiare premi.
Nam mihi ni dederis laſſo prendenda natanti
Brachia, ni mento ſubſtituasq; manum,
Ex Lybicis nunq̄ me Syrtibus ad loca ducam,
Quæ Zephyrus perflat dulcis & aura fouet.
Affer opem quæſo tandem ſuccurre petenti
Quaq; ſoles alijs hac pietate mihi.
Et potes & mereor nam quantum iuſtitiæ ſit
Næ tu linx quantum poſſit amice uides.
Sic fortunatum ſydus, ſic murmure perflans
Aura leui, tutus ſic mihi portus eris.
Sic me Socratici duces ad pocula fontis,
Sic dabis Aonio tingere fonte caput.
Sic facies aliquando tuum qui dogmate uatum
Inſtituens ducat ſub nemus Aonidum.
Sic regem & dominos quoties legatus adibis,
Perſuaſor fias, ſuada labella regat.
Sicq; magiſtratus fungaris munere, nomen
Sic patriæ patris quodq; mereris habe.
Sic patriæ populus ſtabili ceu cœpit amore

Te colat,

Te colat, & longos expetat usque dies.
Sic tibi donec aget uitam deseruiat uni,
Qui mea complectens spiritus ossa regit.

DE ERASMO ROTERODAMO, PHALAECIVM ENDECASYLLABVM.

NEglectæ nimium latinitatis,
Sacrarum simul atque literarum
Instaurator Erasmus atque uindex,
Quam floret radiatque fulguratque
Linguis, eloquio, eruditione.
Quod quidam inscitiæ premente morbo,
Nonnulli inuidiæ ebrij ueneno,
Non possunt miseri uidere, ut ipsum
Solem talpa, labore quæso uano
Quid torqueris & impio miselle
Liuor iam toties retuse liuor?
Et quam gnauiter ipse floret ipse
Florebitque magis, magisque semper,
De toto meritus bene orbe, nil quo
Est exactius eruditiusque,
Sed nec candidius, sui ipse certe
Sol & gloria sæculi, futuris
Admirandus & usque, sed nec ulli
Concedens ueterum, o beato Erasmus
Nomen nectare dulcius, bene atque
Semper prospere uiuat, uniuerso

Orbi gratus,amabilis perinde ac
Sol,aut unica in orbe casta phoenix.

EX PERSONA DISCIPVLORVM.

PHœbus Agenorei premeret cum cornua tauri,
Æstiuos efflans mitis ab ore dies,
Floriger et Zephyrus flaret cum uere tepenti,
Producens herbis arboribusq; comas,
Tunc opere in tragico Musis et Apolline dextris,
Vltima Fagello pręside contigimus.
Fagello ad patrios iam tunc tendente penates,
Visum exoptatos cum sene patre suos,
Fagello iam tunc nobis in fine recessus
Dante uale extremum,dicta sequente manu.

AD DOCTOREM VENCESLAVM BVDVICENSEM IN QVADAM oratione recitatum Heroicum.

SEd tibi quas referam doctor clariss. grates,
Laudes quas recinā, mea mens suspēsa moratur.
Nam raras animi dotes si cœpero,morum
Multiflui occurrent recinendi carmine cultus,
Atq; tenor uitæ sanctus deducere carnis
Doctus ab hospitio mentes,sub tecta tonantis,
Deniq; si toto innitar uel pectoris igne

Dicere,

Dicere, restabunt & multo plura relatis.
Sydera, cœlestesq; plagę, ingeniosa mathesis,
Sola tibi pariat quantum celeberrime doctor
Nominis & famæ, celebris Germania late
Consonat, & totus facti stat conscius orbis,
Hausta salutifero gemini Chironis ab antro
Quid documenta loquar, Coi quid clara magistri
Dogmata, magna quibus coëunt et uulnera succos,
Languida solerter quibus & tot membra saliuas
Et sub uitales auras plerumq; reducis,
Qui Styga qui Lethen Phlegetontaq; pene uidebāt
Laudes unde tibi surgunt, quas fama superstes
Posteritatis aget, magis id post ultima rerum,
O ego si possem, sed desunt multa uolentem,
Sit uoluisse satis, digne præconia laudum
Dicere forte queat nec Calliopeia tuarum,
Et grates dignas magnus uix dicat Apollo.

AD MAGISTRVM GALLVM.

CArmen inerme meū, uero cur Galle repugnem
Est, fustes (fateor) tela nec ulla gerit,
Attamen haud terrent hoc inuida tela uel hostes,
Cingit nos ualidis agger & unda uadis,
Tu qui rura colis, cingas latus ense necesse est,

Armes

Armes utq; tuam uel ſude Calliopen.
Carmine te ſcabiem noſtro uidiſſe quod inquis,
Non deforme nihil eſſe poteſt odio.
Ira cadat naſo,rugoſaq; ſanna magiſter,
Et tua putre ſatis Aonis ulcus habet.
Eſſe quid hoc dicam,circumlita felle recepi,
Forſitan hoc dicam,rumperis inuidia.
Atq; nec id uane dicam ſi rurſus itemq;
Dixero te inuidiæ Galle calere foco.

AD PINIFERVM SARMATAM.

FArra petet Libs,thus Panchaia,mella Tarẽtum,
Indus ebur,Seres uellera,Thetis aquam,
Et Cererem campanus ager, mons uina phalernus,
Et ferrum Calybes,& petet hybla thymum.
Auguror hæc quoniam primis qui ſemper ab armis
Excolis Aonidas,carmina noſtra petis.
Quæ petis his ſuperas tantum,uiburna cupreſſi
Quantum,uel tenerum mater adulta pecus,
Sed tu littus amas pelago nec uela patenti
Das, Zephyrus quanq̃ ſpiret, & aura uocet,
Aſt ubi res urget,ſacrarum digna ſubire
Templa Camœnarum & plectra ciere lyræ,
Scimus quam ludas blandũ & placidé,ut tua tandẽ
Rideat hybleis plena Thalia fauis.
Noſtræ ſunt tenues multum ſterilesq; Camœnæ,

Vt ta

Vt tales quibus est paruus in ore sonus.
Num mihi dat Phoebus uocalia pocula fonti,
Gorgonius celeri quæ pede fecit equus?
Inuocat Aonidas mens fessa & pectus anhelum
Nequicquam, surdas uox habet illa deas.
Peccaui temere in fontes Permessidos olim,
Contingens lota non bene sacra manu.
His offensa mihi feci ueneranda poëtis
Numina, tractata non ratione bona.
Cautior at tandem quin iam & prudentior esse
Nitar, ab exemplo docte poëta tuo.

AD VENCESLAVM VRASIVM.

Esset Fagellus si diues ad ilia pelles
Allatas Schytico munera ab axe daret.
Et preciosa daret, mittit quæ etiam Indus Arabsq;,
Quæ seres, & quæ luxuriosa Tyrus.
Est paup, quod habet dat, dandi ei magna suppellex
Curta est, arctat opes exilis arca suas.
Carmina sola potest, bona deniq; si dare posset,
Auro nec gemmis inferiora daret.
Forma perit, pereunt & opes, uorat omnia tempus,
Durant & longum carmina docta manent.

AD EVNDEM.

ESses si pauper (quod nolim) denicq; quale
Cuncq; tibi possem munus & ipse dare.
Es diues suadet diuersum carmen amœni
Vatis quod sequitur perlege quod sequitur.
Diuitibus poteris Musas elegoscq; sonantes
Mittere, pauperibus munera pexa dato.

IN PERSAM

FAllere, mentiri, iustum uiolare fidemcq;,
Mens infecta malo, nec uerecunda solet.
Per scelus omne ruit, rupto semel obice honesti
Præsumpsit quisquis contemerare fidem.

IN DAVVM

IAm taceas, hoc me toties audire puderet,
Quod tam crebro tuis personet auriculis,
Nec tamen ipse potes, tanta est petulantia linguæ,
Hoc qui fit dicam, pœna tacere mihi est.

AD FRATREM CASPARVM.

SAnguine macte nouo Caspar tua mẽbra uigore
Aspectu & uires prosperiore trahant.
Stamina longa trahant fœlici sydere Parcæ,
Signandoscq; nota candidiore dies.

Atria

Atria frondenti ramo uelentur, odorum
Thus crepitet positis & thymiama focis,
Spargatur passim uiridantis graminis herba,
Exhilarent totam florea prata domum,
Auleis niteat paries, pictisq; tapetis
Omne solum, huc aliquod Zeusis et adsit opus,
Tabificæ procul hinc curæ morosa proculq;
Omnia iocundis sint loca plena iocis,
Lactea coralij præcingant colla lapilli,
Depleat urceolos Sardonicata manus.
Ingere uasa puer fumoso plena falerno.
Multigenis fac stet mensa onerata cibis
Multiplices adsint lusus, cantusq; merumq;,
Et quæ gaudia post uina uenire solent.
Hic cytharam quatiens adsit formosus Apollo,
Et pede tergemino gratia pulset humum.
Adsit lætitiæ dator & Semeleius Euchion,
Lætior & quo sis, adsit & ipsa Venus.
Adsint Pierides hilarantia numina diuæ,
Plectris atq; lyra concrepitante sonent.
Dulcia Philis ades iunctura labella labellis,
Sed quam contingis uena tumescit, abi.

AD D. PETRVM
DE ROSIS.

INter magnificos nostri celeberrime regni
Petre decus rubræ & gloria prima rosæ.

Militiæ ſpecimen, procerum lux,ſtella ſenatus,
Inſignis noſtri ſplendor honorq́ ſoli.
Rite pater patriæ noſtræ uocitande ruentis,
Præſidium populi deliciæq́ tui.
Impia belligeri claudis qui limina Iani,
Qui patriam firmas pace,malumq́ domas,
Te quod ſollicitat tantum reſpublica,dicam
Æmilium,& ſancta relligione Numam.
Cæſarei quod iura fori moderamine tanto
Tractas, hoc Curio Fabricioq́ parem.
Quod morum es cēſor, rigidi quod cultor honeſti,
Hoc Cato Romuleus diceris & merito.
Dulcia mellifluo loqueris quod uerba meatu,
Dum populum frenas,hoc Ciceronis habes.
Audis a populo facilis quod uota petenti,
Diceris orbis amor hac ratione Titus.
Digne Midæ Chrœſiq́ bonis & Perſide gaza,
Tanta cui uirtus pectore fixa manet.
Digne ſenem exęques Pilium,atq́ ætate Sibyllam
Exuperes,omnes qui pietate ſoles.
Namq́ tibi omnia ſunt,fuerant quæ ſingula priſcis,
Vix quem fama tibi conferat inueniat.
Plus ſolito roſa pulchra ſuos en ſpargit odores,
Te generoſę malos Petre uetante Nothos.
Floreat illa uelim æſtiuis nec ſolibus æſtus,
Hanc nec mordaci frigore carpat hyems,
Floreat & late per terras ſe explicet iſtas,

Flore

Flore, comis, folijs, spiritibusq; suis.
Hoc mea uota petunt, petit hoc studiosa iuuentus,
Exposcit Cererem quæ sibi nunc solitam.
Cum Cerere & rigidæ exposcit solatia brumæ,
A pietate tua, frondea ligna focis.
Tantis pro meritis cœlum tibi præmia fiet,
Quas dederis nobis semper habebis opes.
Pro Cerere Ambrosiam, pro lignis perpetuum uer,
Donabunt superi post tua fata tibi.

EXHORTATIO AD SCHOLASTICOS SVOS LABORANTES in sylua in usum communem literarij studij.

FIda cohors proceres, Rhœtæo milite digna
Turba uiri, magnis fortissima pectora rebus
Exagitata, bonum de se uirtutis odorem
Per terras omnes Phœbi quas lucidus orbis
Illustrat, late spargentia, cognita cunctis
Iampridem ex factis illustribus atq; decoro
Nomine, difficilis quibus haud fuit ulla laborum
Moles, consueti uos semper uincere cuncta,
Hectorei socij, famæ quos iusta cupido
Sollicitat, mentis fax quos & gloria tangit,
Nunc agedum mecum celsos conscendite montes,
Robora magna trabes deuoluite montis ad ima,
Vertice de summo, nunq̃ maiora dabantur

Præmia uirtuti, tantæ data copia famæ
Fortibus est nunq̃ omnis honos hic, sumere claræ
Nomina uirtutis cupitis qui scandite mecum
Montem, robora magna trabes deuoluite mecum.
Sub titulos ibit, ualidis quicunq; lacertis
Inceptum tractabit opus, at debile perquam
Nomen habebit iners, & segnis, surgere in altum
Cura sit o socij, surgetis, robora postquam
Ista cadent summo de montis ad ima, labore
Militiæ uestræ, fortissima turba Quirites,
Atq; ubi iam Muldæ fuerint in littore nostro
Exposita, & fuerit cum tandem meta labori
Huic tanto, o socij fidiss. pectora nostri,
Tunc mihi nemo ex hoc numero non lætus abibit
Munere, pro meritis ego tunc mea turba sodales
Præmia digna dabo uirtutum insignia uobis,
Namq; ego uestra uiri commendans posteritati
Facta canam, & famam uiuaci carmine semper
Extendam, & laudes uestras nomenq; sacrabo,
Ne uos ulla uirum gens nesciat, ulla uel unquam
Ne tandem sors contegat obliuione uetustas.

AD PROCOPIVM

IGnaua ut quondam latuit Diomedes in aula,
    Inter uirginei mollia pensa chori,
Implendo Æacides timidæ mandata parentis,

Notus

Notus Dulichia donec ab arte foret.
Nescio quos inter secus haud doctrina fidesque
Vrbani, & uirtus mascula delituit.
Inuidiæ insultu donec prorupit ad actus
Insidijs, cum ipsa & fraudibus inuidia.
Iam tandem erupit, iam debet inertibus illis
Insidijs, cum ipsa & fraudibus inuidia.

IN INVIDOS OSORES.

Liuor edax, hostis semper uirtutis, inermi
Fagelli solidas dente lacessis opes.
Fagelli inculpata fuit celebrataque fama,
Et uita & Musis facta decora suis.
Hæc eadem usque manet, fuluo preciosior auro,
Post cineres etiam non peritura suos.
Liuor edax, inimice bonis, nocuisse quid illi
Quæris? arenosum uomere littus aras.
Hunc Musæ Phoebusque fouent, celebrantque periti,
Rectum & quisquis amat, hos habet ille suos.
Non hunc suspicio furti, aut infamia terret,
Non mendax tandem lingua, nocensque dolus.
Præsumit solidam de se famamque fidemque,
Præsumitque bono quicquid inesse uelis,
Liuor edax inimice bonis nocuisse quid illi
Gestis? efficies desine uelle nihil.
Quod si, perge palam, non degener ille moratur,

Obuius expectat, perge nocere palam.
Perge palam absq; dolis secum certare, uirorum est
Libere & opposita fronte palamq; loqui.
Hoc uirtutis erit, sub aperto uincere Marte,
Atq; palam audere conseruisse manus.
Vincere desperat quem quem præsentia terret
Hostis, & incerta suspicione manet.
Absq; fide suspectus eris, nocuisse quid illi
Speras, e tenebris liuor inique tuis?
Heus num mēdacem agnosci nequamque malumq;
Non pudet? ah scelus est non puduisse mali.
Si at puduisse uelis (ut debes) scilicet ista
Quam degis fiet perdita uita pudor.
Liuor edax, hostis semper uirtutis, inermi
Fagelli solidas dente lacessis opes.
Liuor edax, inimice bonis, nocuisse quid illi
Poscis, arenosum uomere littus aras?

IN CALVMNIATORES

REcti conscia mens, hominum mendacia ridet,
Plus etiam tandem cum patefacta uidet.
Cum patefacta uidet mollimina fœda malorum
Atq; illos eadem sugere per iugulum.
Rideat est quod tunc uere quod gaudeat atq;,
Vltricem ut scelerum quæ uideat Nemesim.
Ah quid fœdius his censes contemptius atq;,
Infami

Infami quos sic stigmate facta notant?
His quid mentis inesse putas, monstrarier hic sunt
Se noscunt quoties dicier idq; palam,
Credo uoluptatem illorum iam tum esse minorem,
In gelidis malim montibus esse lapis.

AD VENCESLAVM BOLESIVM.

PAuca tui toties questus legisse Simonis,
Perlege Polidamas, aut Labeonis opus.
Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes
Mittitur ecce tibi, Vencesilaë lege.
Sunt nugæ nihili, sunt at (quem diligis) huius
Fagelli & qui te (ut scis) quoq; semper amat.
Tandem pelle sitim illam, iam satiare Bolesi,
Desinet ad Betas scilicet ista fames.

RVMOR

ECce parat ab albigena secedere gente,
Quantulacunq; illic est sacra relligio.
Tot pertæsa nouos errores, schismata, sectas
Illic, quot ramis pullulat uda salix.
Fama sed interea pernix huic dixit ab Istro
Quiddam, ne faceret, Cæsaris ex adytis.

AD FRANCISCVM FABRVM.

QVis Faber iste mihi tam dulce sonantia cudit
Carmina, Castalijs tam bene lota uadis?
Num fieri igniuomæ credam sub rupibus Æthnæ,
Talia ab ambustis carmina culta Fabris?
Non tantum Æolias rupes, Liparæq; caminos
Iste Faber quondam uidit & incoluit,
Verius at Delon, Cynthumq; Heliconaq; tandē, et
Quæcunq; Aonijs sunt loca iuncta iugis.
Si hic Faber est, Phœbi est, Heliconiadumq; sororū
Quod fabricat Faber est, tinnula plectra deis.

DE CONTEMPTV MVNDI.

LVsus lætiferi & nocens uoluptas,
Risus, gaudia uana, lucra, fastus,
Mundi cura laborq; abite, abite
Iam tandem procul hinc, satis superq;
Erratum est, male praue & ociatum.
Heu heu pœnitet atq; pudet usq;
Offendisse deum omnium potentem,
Quo cœlum mare & aër atq; terra
Gaudent, riteq; gloriantur uno,
Vobis iam penitus perenne bellum
Indictum fore deq; nunciatum
Sit certum, eius en imperata regis,
Post tot iam miseræ pericla uitæ
Exequi obedienter atq; prompte

Ardet

Ardet mens, animus calet, fidesq;
Instructa atq; animata mente cœli,
O tandem ad patriæ perennis aulam
Nostræ lintea uersa sint carinæ.
Iam mutare decet iuuatq; mores,
Iam pro uellere molliore serum,
Tegmen Ciniphij induendo capri,
Pensare opprobrijs superbientes
Sensus, gaudia lachrymis, lucella
Paupertate, iocos facetiasq;
Prophanas pietate Christiana,
Et luxum esurie, siti, fameq;,
Sic sic namq; redire oportet ad te,
Qui cœlum regis atq; cuncta Christe,
Solus unica spes salusq; nostra,
Mundi cætera plena sunt ueneno.

IN QVENDAM DVCANVM MILITVM.

NAturæ & factis hoc pulchre ducane profecto
Respondet nomen moribus atq; tuis.
Quod caput inuestis canis, mentem cane, quis non
Dixerit inde tuum hoc nomen inesse tibi?
Fraudes, furta, doli, mendacia, pectus iniquum,
Sordida auaritia, & impia barbaries
Longe aliud poterant imponere nomē, iniqua hoc
Erroris mater contulit inuidia.

AD VENCESLAVM VRASIVM.

QVi colis Aonios colles dulcesq; recessus
Musarũ, et placidas Bellerophõtis aquas,
Palladios orsus, Phoebiq; lyramq; chelimq;,
Et uates ipsos qui reuerenter amas
Accipe Castaliis manantia carmina riuis,
Accipe criniti dulcia dona dei.
Dat quod quisq; potest, sic nos tibi carmina iuste et,
Es quia tu uates, munus habeto tuum.

AD NICOLAVM RADNICENSEM.

DAt quod quisq; potest, tibi Simõ carmina tm̃,
At bona si posset, posset ubiq; satis.
Quale potest offert, animam quoq; deuouet ipsam,
Gratus habe carnem, gratus & hanc animam.

AD SIMONEM PLANENSEM ARETALOGVM,

Phalæcium endecasyllabum.

NVgarum pater atq; ineptiarum,
Scommatum, salium & facetiarum,
Dictator sed & omnium leporum,
Gerris plene Simon, iocis, dolisq;,

Simon

Simon nequitijs referte Simon,
Quem conuiuia lauta, quem tabernæ
Norunt, compita, porticus, popinæ,
Fornix & Sybaritici bibones,
Et leno & liguritor & lanista,
Omni cognitus in foro popello,
Nugis pessimitatibus dolisque,
Idem uatibus & choris dearum
Iam notus fieri cupis, sed ipsas
Ad Musas penetras scelestе, Phœbo
Id semper bene nec ferente, faxis
Id tandem reuerentiusque honestiusque,
Simon nequitijs referte Simon.

SOTERIA AD BENEDICTVM PAROCHVM Trenciniensem.

Vota precesque piæ tangant quod pectora diuũ,
Lanificasque deas,
Curæ quod superos mordaces & mala quæque
Sollicitent hominum.
Testis es eia patrum fidis Benedicte retentus
Et populi precibus.
Parcæ etenim iam tunc properabant rumpere uitæ
Fila suprema tuæ.
Iam tibi iam scandenda senis, quæ est publica cũctis,
Cymba Charontis erat.

 Mens

Mens paradiſiacas tua iam tendebat ad oras,
Carnis ab hoſpitio.
Iam prece iam lachrymis plenus, luctu gemituq;
Angulus omnis erat.
Haud aliter doluit Priamus cum Pergama cepit
Proditionis equus.
Te quam turba patrum fleuit q̃ plebsq; ſenatusq;,
Et doluit populus,
Quam doluere tui, poſſunt qui dicier alter
Tu, tua membra uiri.
Quam ſtudioſa manus doluit cũ præſide, quanta &
Vota dedit ſuperis.
Quis negat? ah dominum cœli quod uota precesq;
Flectere non ualeant.
Erubuit fidas merito pia turba deorum,
Cum precibus lachrymas.
Et niſi mota foret, dixiſſem certe ſupernos
Eſſe deos lapides.
Sed moti eſtis, Io, ſit uobis maxima diui
Gratia, laus & honor.
Iam redeunt fuerant uultus qui, robur & ille
Lucidus oris honos,
Iam uigiles oculi rident, iam membra reſultant,
Es quia quod fueras.
Di faciant multos nobis ſis ſanus ad annos,
Sanus & incolumis.
Nectite fatales candentia ſtamina uitæ huic,

Stamina

Stamina longa Deæ.
Nectite ut Euboici transcendat pulueris annos,
Nestoreosque situs.
Hæc syncera fides & amor me poscere, maior
Sed iubet utilitas.
Viue uale fœlix semper celebrande patrone,
Prospere uiue, Vale.

AD DOCTOREM IO-ANNEM ZIAK.

XEniolum hoc nō ut dignum te mitto patrone
Debitus hoc tantum ut significetur amor.
Æquabit magnum sit si pensata uoluntas,
Hoc maius quod det, non opulentus habet.
Hanc faxis perpende, minus si xeniolum istud
Te iuuet aut deceat, suppleat illa, Vale.

CONVENIENS RESPONSVM.

SI peperi quicquam, mittam tibi scribis ut illud,
Nil ego per conchas iuro cythariacas
Phillidis at nostræ sane mirumque nouumque
Sedulus accipito parturientis opus.
In mensem sensim nonum crescente tumebat
Ventre, subinde suum dixit adesse diem.
Protinus accitur festino Lesbia cursu,
Lesbia fœmineis apta ministerijs.

Fasciolæ

Fasciolæ iam quæruntur, quibus indiget usus
Et partus satagit Lesbia comis anus.
Ipsa graui gemuit Phillis depressa dolore,
Et nitens magno prolis amore parens.
Inter tot gemitus tandem, mediasq; ministras,
Aeream prolem parturiens peperit.
Et crepuit uenter misere sonitum atq; fragorem
Sic dedit ut tremerēt Cynthus, Olympus, Athō.
Phillidis hanc nostræ interea miramq; nouamq;
Mitto tibi prolem parturientis, habe.

AD CHRISTOPHORVM AMBERGIVM.

IN lyricis sequitur quisquis uestigia Flacci,
Non errat, palmam possidet ille lyræ.
Qui sequitur Flaccum, non formidabit acumen
Iudicis, aut sannas aut iuga grammatica.
Hic inter lyricos sublimi uertice solus
Fila regens Cytharæ sydera celsa ferit.

IN CAPITELLA AVICVLARVM POSTIBVS adfixa.

FActa uiros monstrant, factis censerier ipsi
Poscimus, hæc nostris cæsa uides manibus.
Quantus Hylas cæstu, pedibus licus, aucupio nos,
Ista uidens magnos esse perinde puta.

Ad Geor-

AD GEORGIVM CYHLA.

CArpserat ante modis qui nostra silentia miris,
Petrus Apollineo nectare pastus homo,
Quis stabilit uotum, silet ut Marpesia cautes,
Gorgona uel uidit, certe petreus homo est,
Soluat Epimenidis somnos hortare Georgi,
Esto nisi id faciat, petra mera ille Petrus.

AD NICOLAVM BOLEZINVM.

OCcupant tristes quoties procellæ,
Pectus in partes rapiendo plures,
Hos tua cantes placida Bolezi
Voce tenores.
Corpus ut curant medicæ dietæ,
Et dei Iconas animas Zophia,
Sic leuat nostras recreatq; dulcis
Musica mentes.
Spiritus lætus minuit dolores,
Tristior morbos generat nociuos,
Sanus ut uiuas, recinas Bolezi
Carmina lætus.

AD M. ERASMVM PINIFERVM SARMATAM.

PInifer Aonijs Vates ornate Camoenis
Et Phoebi multo numine plene dei,
Cui tribuit pinus Parnasi in uertice crescens
Praenomen, porro Pinifer inde uenis.
Inde uenis merito uates celeberrime, tecum
Deducens hederas ex Helicone tuas.
Qui tripodas Phoebi, lauros & barbita nosti
Et simul astrigeri lucida signa poli.
Quid Latium iam nos opus est transire per alpes,
Quaerere docta tuos terra latina sophos?
Tu latiae magnos aequas de gente Poëtas,
Cincta quibus Daphnes tempora fronde uiret.
Arte uales tantum, quis nam tibi proximus arte,
Ingenio priscis anteferende sophis?
Mirantur multi lepidos ex tempore uersus,
Quin & cum recitas tot simul historias.
Hinc est ut cirrata cohors te laudet ametque,
Passa senecta simul & colat omnis homo.
Plura tibi uereor rauco nunc scribere uersu,
Sal nigrum metuens & iuga grammatica.
Hec ideo & solum, ut qui te reuerenter honorat
Fagellum agnoscas & fateare tuum.

AD PHOEBVM

VAtum Phoebe pater lyrae chelisque,
Antistes simul optime & patrone,
Qui sacras medius sedens ad undas,

Inter Pieridum choros canentes,
Diffusis caput induens Chorymbis.
Cirrum conq; tegens tuum capillum
Ramo complacitæ tibi puellæ,
Percurrens digitis fides recuruis,
Hoc cœlum modulis pijs serenas.
Quem uates uenerantur excoluntq;,
Authorem modulum lyræ chelisq;,
Clemens uôta pias precesq; tandem
Audi, & rore sacro irriga fouecq;
Vatum pectora, Musicamq; turbam,
Inspira sophiæ fauosq; melq;
Vatum pectoribus tuæq; turbæ,
Vt uersus meditarier canoros
Possint dulciloquos et elegantes,
Sic Peana pium tuas ad aras,
Dantes mascula thura, concrepabunt
Omnes carminibus tibi Poëtæ.

AD D. HENRICVM DE ROSIS.

IAm per tot uersos in se tibi mittimus annos,
Nostra per auspicium munera, redde uicem.
Crastina si nescis anni lux prima futuri est,
Sit fœlix faustaq; exoriatur aue.
Fœlix nos omen tibi, sed tu munera mitte,
Quam sunt conspicuæ tam preciosa rosæ.

Non bene reddideris, reddas si uerba Poëtæ
Non bene quis salsis Nerea honoret aquis.
Nec tibi parua puta nos dona dedisse, probato
Carmine maiores non habet Indus opes.

AD OPVS ORGANICVM DONATVM ECCLESIAE.

APtum laudibus hoc opus deorum,
Ipsis mente animoq; dedicauit,
Multa nobilitate clara, multis
Multum nota domus Batilliana.

AD MAGISTRVM THOMAM MATHEOLVM CAnonicum Pragensem.

ENse iubes uatem cingi, nescis quia uatum
Sunt cytharæ, sistrum, tinnula plectra, lyrę.
Cum ferro nihil est uati, nam pacis amici
Iustitiæ pariter nos pia turba sumus.
Armari ferro uatem qui præcipit, ipsi
Ingratus Phœbo est, Castalidumq; gregi.
Plectra, lyram nos ferre licet, cytharamq; sonātem,
Vatem pręcinctus ense sequatur hylas.
At si poscat opus, præstabunt arma sorores,
Arma quibus cecidit uir Thelamoniades.

Ad Syl-

AD SYLVESTRVM MONTANVM.

INgenio facili morum bonitate probato,
Quis dedit a ſyluis nomen habere tibi?
Eloquio celeriq; manu, ſed legibus atq;
Iudicio polles, conſilioq; graui.
Vrbanus potius quam Syluester uocitandus
Iudice me fueras, conſilioq; meo.
Sed Rex montanum uoluit te Vladiſlaus
Dici, quod ſtabili te ſciat eſſe fide.
Rhynocerota dedit clypeo idem Rex bene, raræ
Nam ualidum cornu tu probitatis habes.

AD PAVLVM MONTANVM.

NOſtræ Paule tuo Muſæ gratantur honori,
Gratantur quod homo de ueteri nouus es.
Rhynocerota tuo pictum clypeo, ſed & altis
Montibus eductum nomen in aſtra leuat.
Vt deus & fœlix rogitant fortuna ſecundo
Hoc ueſtrum ſpectent lumine ſtemma nouum,
Diuitiæ titulos uirtutem ut ſigna ſequantur,
Creſcat ut æterna nobilitate domus.
Pieridum ſunt hæc in uos pia uota mearum,
Montani inſignes, Reges probante, uiri.

DISCEDENS CEL-
LAM ALLOQVITVR.

CVm Phoebo et Musis te cellula grata relinquo.
  Vt fatear uerum, non sine amaricie.
In te cella sedens umbrosum Helicona uidebar
  Incolere, & doctas cernere Pieridas.
Hic Musę & Phoebus septem modulamine uocum
  Mulcebant Driadas, Oreadasq; deas.
Venerat auditura modos huc pulchra frequenter
  Lydia, formarum Lydia flos et honos.
Hei mihi cum diuis hæc esset mixta puellis,
  Mirabar, specie non fuit inferior.
Hanc Musæ, hanc Phoebus, Driades hanc laude ferebãt,
  Sacro dictabant sanguine progenitam.
Gaudebam, limos quoties sed flexit ocellos
  Phoebus ad hanc, uisa Gorgone & obrigui.
Scilicet astra suis oculis æquans mea semper
  Me facit & faciet Lydia sollicitum.
Pulchrior esse nequit, certe si pulchrior esset,
  Essem ego, qui nunc sum nil nisi flamma, cinis.
Cellula chara uale, uale ipso charior auro
  Lydia, delicijs nata cythariacis.
Viues sub nostro gratissima pectore semper
  Donec ego, post &, si modo sensus inest.

Ad do-

AD DOMINVM IA-NVM RAXIVM.

CArmina Iane petis, nulla est mihi Phyllis in arce
Iane feres etiã carmina, da quod amem. (hac,
Non Venus hic habitat, Venerẽ nec quę comitãtur
Sunt Charites isto, numina blanda, loco.
Hyppotades uerum, qui uentis æthera scindit,
Has inter rupes nocte dieꝗ fremit.
Ergo nostra cupis si carmina, mitte puellam,
Excitet ut uatis scilicet ingenium.

AD IANVM PRZESTICENSEM.

ESt si quis teneri studiosus miles amoris,
Noster hic est Ianus, præda Cupido tua.
Semper amat Ianus, tepeat si tota iuuenta,
Quod magis est, facit hic præter amare nihil.

AD SODALES AMISSO LINTEOLO.

FLete meum tristes lachrymoso carmine casum,
Sint oculi madidi, quisquis amicus ades.
Linteolum nobis quod dulcis fecit amica,
Hoc perijt nobis hei mihi linteolum.
Linteolum puro fuerat formosius auro,
Tergere quo potuit ora uel ipsa Venus.

Non

Non fuit hoc nobis gestamine gratius ullum,
Gratum hoc ex animo terq; quaterq; fuit.
Impie sacrilega poteras hoc carpere dextra?
Impia nec timuit furta nephanda manus?
Si nescis charæ fuerat labor iste puellę,
Si nescis dedit hoc Lidia linteolum.
Ipsa suam tenui telam discreuerat auro,
Blandaq; tot fixit oscula linteolo.
Inter opus properate manus, Villaticus (inquit)
Gestabit digitis hoc mea pupa suis.
Nunc mea Cyanei sparserunt gaudia uenti,
Nunc mea perpetuis ora rigantur aquis.
At tibi quem mala nostra iuuant, gemitusq; puellę,
Dij faciant, Stygij sis bona præda canis.
Dextra cadat qua nos spoliasti munere tanto,
Et nectas laqueo debita colla neci.
Deniq; post cineres Eurijs agiteris iniquis,
Et mala sint uotis fertiliora meis.

AD CONCIONATOREM

SI licet increpitare scelus, configere mores,
Et mala constanti pectore proterere,
At tumida innocuos sic uoce lacessere certe
Non licet, Ecclesiæ non iubet ista rigor.
Tu tam arrodis & insimulas, ut dicier ipso
Iure Theon possis, multimalusq; Bion.
Non hęc de pietate fluunt, studioq; salutis,

Ipsa sed hanc rabiem fulminat inuidia.
Rite sapit quisquis linguæ moderatur habenas,
Id porro facies tu quoq;, si sapies.

AD PHOEBVM
ET MVSAS.

LAudum præconijs scitur q insigniter ampli
Villaticum excolant uiri.
Quo non liuor adit, quid non dementia suadet,
Et mens grauata crimine?
Turpiter oblitus recti, oblitusq; decori
Quidam hunc asellus clamitat
Villanum prænomine per conuitia uerso,
Ineptus hic tam & impudens.
Æger ab inuidia & liuoris perditus igne,
Quem nomen ustulat suum,
Quid mirum rabiosis si hoc percellat Iambis
Quis monstrum ineptum & perditum?
Et uos cum Phœbo Musæ, hæc portenta uidetis,
Ad hæc tacetis attamen.

LIBRVM REMISSVRVS
MVTVO ACCEPTVM.

GRates multiplices tecum rediens domino fer,
At fuerit forte hoc ferre libelle parum,
Posse & uelle meum fer, quin totum adde, fidemq;,
Hæc etenim mea sunt uelle, fides, animus.

Velle meum domino desiderat, optat & orat,
Optari in terris omnia quæq; ualent,
Quæq; licet porro lucentibus optat in astris
Omnia, post uitæ fila peracta suæ,
Quo tamen haud nisi post multos fœliciter annos
Dic abeat Lachesi nente probe atq; diu.
Hæc sunt in dominum mea uota tuum, hæc citus illi
Perfer, quin propere perge, uoraq; uiam.

AD DOCTOREM ISIDORVM HOSTVNENSEM PRAGEN Canonicum.

HOratium Flaccum nuper a te mutuo acceptum remitto, eius importunitate quam cõstitueram citius: etenim indignabundus iam mecum sic egit, sic supremum Vale iam iam abiturus dixit & abijt.

Non huc usq; fuit mihi copia facta manendi
Tecum, uir bone, iam tempus abire mihi est.
Nam domini uultum metuo frontemq; seueram,
Non dubium tantas arguet ille moras.
Ipse moras auges causasq; innectis inanes,
Non domini metuis quas ego rite minas,
Velle sciens domini seruus si negligit ipse,
Sæpius immiti uerbere cæsus abit.

Id me

Id metuens rapidum cuperem mox posse ueredum
Scandere, uel pennas sumere Dedaleas.
Pergo uale hospitij, grates Villatice habeto,
Pergo uale ut optas, præstat abire domum,
Democritos, Zenonas inexplicitosq; Platonas
Audire, & doctum uoce referre Zophos.
Protinus hac ædes nostras cum uoce reliquit,
Laxans Æolijs carbasa tota Notis.
Quem mox multisona per inane sequebar euntem
Voce, breuis fuit ad multa loquenda mora.
Sic ego, sic citus ille per aëra fugit apertum,
Vt solet a neruo stridula arundo suo.

AD ANTONIVM HERMANNVM, ECCLESIASTICI XL.

PLus sapientia cordatos q̃ iuncta Lyęo
Musica delectat, rite decetq; uiros.
Optauit Salomon, quam regnis præposuitq;,
Nomen & ex uero sic sapientis habet.
Eius sunt prudentia, consilium, uia ueri,
Qua sine uita hominis casus & interitus.
Hinc est ut dominus uitę melioris origo
Ipse suis Christus dicat, habete salem.
Eius fac portis Antoni sedulus adstes,
Hancq; tuis factis semper adesse uelis.

AD CHRISTOPHORVM ADELPHVM MEDICINAE Doctorem.

EXigis ut dicam mihi quantum uerba probentur
Facta hodie ad populũ non sine felle rudem.
Verba quibus proscidit dia poemata Vatum
Dente Theonino, mente Megera tua.
Quid tu non ignoro uelis, uis protinus illi
Reddi pro meritis præmia digna suis.
At quidꝗ uis laudet quas non intelligit artes?
Non aliud forsan quod loqueretur erat.
Non est exagites quod Iambis pectus inane hoc,
Iampridem misera languet ab inuidia.
Barbariem non ille malum credatq́ꝫ putetq́ꝫ,
Esto, stigmata fert hic utriusq́ꝫ tamen.
Desine tu, mentemq́ꝫ tuam compone quieti,
Non est quod doleas teq́ꝫ quod excrucies.
Obtrectatio laus &, stant æqualiter horum,
Qui uirtute simul & probitate uacant.

DE MATHVSCO ET BARTOLLO PVERIS.

VInum sic amat & bibit Mathuscus,
Vini ut pernicies putetur ipsa:
At Bartollus obit probe & libenter
Omnes impositos sibi labores.

Hi perꝙ̃ similes duo uidentur
Vno, at dissimiles tamen uidentur,
Tantum quod bibit hic, ubi hic salutat.

AD ITER AMICORVM AGENDVM ET REDITVM.

EXitum uestrum benedicat ille,
Cuncta qui nutu regit & gubernat,
Rursus et tandem propere & benigna
Sorte reducat.

PVLEX CATENVLA CONSTRICTVS.

QVod sitiẽs modicum uegeto de corpore suxi
Sanguinis, id propter hæc miserãda fero.
Ecce catenatus teneor, circumferor atq;
Ridendus, forsan uel perimendus item.
Si pœnas ego tantilli do sanguinis, eheu
Quid fiet uobis, Martia turba, lupi.

IDEM AD CONSTRINGENTEM.

HOc sæuire modo nunquid te non pudet in me
In me tantillum scilicet atq; tuum?
Sum tua progenies & sanguine pasta tuorum
Membrorꝫ, quicq̃d namq; habeo omne tuũ est,
Sanguine sed modico, ne quid fortassis & inde

In causam tandem traxeris ipse tuam.
Quod si propterea me uinclis stringis ahenis,
Et facis ut uidear uinctus & usque miser,
Phalaridem tu certe exæquas, atque Busirim
Insignes quosque & impietate uiros.
Porro ne subeas tanta hæc dispendia famæ,
Et Iouis ætherei triste supercilium,
Solue catenatum me protinus, atque tuo iam
Qua pereo multam sanguine tolle sitim.

AD AEDES PAMPHILI

AEdes has leo Pamphili tuetur,
Quisquis quæris amicus hunc, subito,
Hostes hinc procul inuidique sunto,
Virtus at pietas amorque recti,
Et dilectio, charitas, amici,
Pax & prosperitas, salusque adeste,
Mansuræ hic bene, scilicet sub ipso
Iuda præside de tribu Leone.

AD STRVCTVRAM NOVI AEDIFICII IN ECCLEsia Pragensi.

O Antiqua domus, uenerabilis, inclyta, sancta,
Quondam deliciæ regibus & patriæ,
Quam nunc infirmis inniteris ecce columnis,
Ah uereor propere ne miseranda ruas.

Namque

Namq; pates manifesto quam subiecta periclo,
Omnibus id satis est sensibus expositum.
O deflenda graui luctu, lachrymis, gemituq;
Nequicquam tandem flebilis effigies.

DE EADEM STRVCTVRA.

CVi grates operis feremus huius?
An doctæ artificis manui, an uel arti
Solerti ingenioq; fabricarum?
O digni merito quibus futura
Reddat posteritas suos honores,
Quin reddet meruere quos honores,
Et nunc quisquis adest & intuetur,
Reddit protinus his suos honores.

IN LIBRVM REVERENDISS. D. IOAN. FABRI EPISCOPI Vien. Senatui Pragensi dicatum.

HÆc inscripta tibi Pragen̄ sancte Senatus,
Authoris debent nomine grata fore,
Et non authoris tantum, clarissimus ille
Sit licet, & multa religione pius,
Sit uirtutibus & linguis magnusq; potensq;
Multimodumq; licet calleat ille Zophos.
Hæc siquidem pietate pias recreantq; fouentq;

Mentes

Mentes, dispellunt luce noua hæc tenebras.
Hæc sentire pie, recte, uereq; docebunt,
Nestoris his error cedet & insidiæ,
Error & eius item omnia cedent tela patenti
Iam uero, & tandem uicta dabuntq; manus.
Per tempus uerum reperire licet, bene tandem
His iam, non nullis soluitur hoc dubium.
Grata fore his ergo debent magis atq; placere hæc,
Magni consilio & de probitate uiri.

IN PERICVLOSITATEM TEMPORVM.

DIxerat o mores o tempora Tullius olim,
Quod nos certe hodie q̃ bene dixerimus.
Vis etenim scelerum tanta est, morũ ipsa Charybdis,
Quæ passim iuuenes occupat atq; senes.
Vt sint miremur quæ detestemur & usq;
Tantum, grandia sic, ut grauiora fide
Quando etenim fraudes, periuria, furta, rapinæ,
Ebrietas, luxus, liuor & ambitio,
Lites cum fastu, & furor exitialis habendi,
Phas mixtum atq; nephas, & genus omne mali,
Sic passim ualide totum uiguere per orbem,
Quodlibet impune & sic potuere nephas.
Implicitos ijsdem quòd si spectemus, & ipsos
A sancta titulos qui pietate trahunt,
O mores, o tempora, nunc & dicere iuste

Possu-

Possumus, & multum nunc meritoq; queri.

AD NOBILES PVEROS DOMI SVAE BONIS LITEris operam nauantes.

NObilium pueri, charissima pignora patrum,
Erectæ meritis germina pulchra domus,
Hos ego commendo uestros & laudo labores
Vestraq; tam studijs dedita corda bonis.
Hoc est ex uoto maiorum uiuere, corda
Hoc est nimirum lætificare patrum,
Hoc sibi prospicere est, domuiq;, suisq;, senectæ
Hoc est prudenter consuluisse suæ,
Reddere se dignos gratosq; parentibus hoc est,
Cultu, doctrina, moribus, ingenio.
Ætas prima malis circundata moribus hoc me
Iudice formanda est atq; domanda iugo.
Quod durum si forte uidetur, uincite, ad alta
Delicijs plena non datur ire uia.
Vincite, non multo post hæc uictoria uobis
Dulcis erit, dulci dulcior Ambrosia.
Porro fœlices estis magniq; futuri
Sic studij uestri si peragetis iter.

AD CHRISTOPHORVM RABENHAVBT ADOLEscentulum.

Gaude scite puer formæ bonitate beate,
Non minus ingenij dexteritate tui.
Indolis eximiæ specimen, uirtutis imago
Eminet in uultu, moribus atq; tuis.
Te Charites blandæ, te turba nouena sorores,
Donis exornant muneribusq; suis.
Te Thamiras quidam docuit testudinis artem,
Dulciter intensas ungue frigare fides.
Nescio quis docuit coniungere Græca Latinis,
Et tam Teutonicis uerba Boëma sonis.
Perge puer uirtus quo te naturaq; ducunt,
Prompte quo ducunt illa sequaris age.
Magna puer merito patris matrisq; uoluptas,
Omnis solatium non mediocre domus.

AD SVAS MVSAS

Vnde meæ miseræ quæso laceræq; Camœniæ
Iter tenetis? dicite
Vt quid mutastis uestem formamq; misellæ?
Vbi sorores Gratiæ?
Vtilius mansisse domi & non credere tantum
Fuisset o puellulæ.
Pellexit promissa fides, ignosce misellis,
Vanum fides uocabulum,
Iustitiæ nam facta comes conscendit ad alta
Orbe hoc relicto sydera.

Ergo

Ergo propterea uobis ſit ſi quid agendum,
Fiat deinde cautius.

AD ARMA D. IOANNIS HODIANII.

PIſces ut liquidis agiles ſpectantur in undis,
Sic agiles generans Hodia clara domus,
Virtutis ſpecimen fert hoc inſigne uetuſtæ
Pro clypeo piſcem nobilitatis opus.
Verum cœleſtis tandem luteusq; colores,
Signi nonnihil hi relligionis habent.

AD DOCTOREM IOANNEM ZIAK.

Noſter magiſter Atticus
Amat puellam nobilem, atq; uirginem,
Vis ſi capi Poëtice.
Quæ poſt licet quartum uiret tamen, ſapit,
Sapit magiſter Atticus,
De prole certam nanq; habebit coniugem,
De coniuge ipſa plurimos
Subinde & in parato amicos intimos,
Sapit magiſter Atticus.

IN RABVLAM CALVMNIOSA ACERBITATE OBTRECTANTEM Erasmo Roterodamo uiro omnium doctissimo.

SI uis esse aliquid, magnum & memorabile multis
Quod fuerit uisum, fortiter aude aliquid,
Aude doctiloqui diuina uolumina Erasmi
Carpere, quin tradi dicere digna rogis,
Laudent hæc quanq̃ summi reuerentur amentq;
Pontifices, licet hæc Induperator amet,
Cui licet id tribuit, quod nulli est ante tributum,
Omnis summorum copia docta uirum:
Tu tamen audacter fidenti & pectore perge
More tuo dotes attenuare suas.
Non nihil id fuerit certe, configere Erasmum,
Committi tanto, & anteuenire uirum,
Id fuerit certe, stultum te rite fateri,
Et tandem quam sis magnus, at ardelio.

AD MAGISTRVM BARTHOLOMAEVM PRAGEN.

INiusto adfectis Fagelli uulnere Musis,
Profore q̃ possis Bartholomęe uelis.
Sunt memores Musæ, uiuacia carmina, facti
Huius erit porro gratia iusta tui.

Quæ

Quæ non inuidiam ſentit non uiuida uirtus
Cenſetur, perfert inuida tela, cruces.
Virtutis ſolidę teſtem cognoſcere certum
Si cupias, nullus certior inuidia eſt.

AD ANTONIVM HORMAN ADOLESCENTVLVM.

ANtoni chariſſime noſtræ gemma cohortis,
Moribus egregijs ſuſpiciende puer.
Doctrinæ quiddam ſpe maius cernitur in te,
Docta ſeges Latij ſcilicet eloquij.
Commendanda uolens in te pertranſeo multa,
Tempore nimirum magna futura ſuo,
Quæ ſunt uirtutis præſagia magna futuræ,
Quæ ſunt appoſiti culmina ad alta gradus.
Dona dei ſunt hæc, uires his impluet ille
Qui creat omne quod eſt, tu modo perge puer
More tuo Antoni fœlicem hunc ferre laborem
Vtcp ſoles etiam continuare tuum.
Hęc mihi ludenti hoc noſtræ impoſuere Camœnæ
Muneris, impenſi ſcilicet officij,
Vt tibi multimodas grates habeamcp feramcp
Illarum dulci nomine chare puer.
Quæ tibi ſe tandem promittunt mella daturas
Dulcia ſermonis, multimodumcp ſophos.
Sunt memores illæ multum gratæcp puellæ,
Proderit hoc illi te tribuiſſe choro.

Viue diu atque uale puer ornatissime, dignis
Moribus, ingenio, dexteritate, fide.

IN AVTHOREM LIBELLI FAMOSI.

HOrum quisquis es author & parator,
Ni te notifices, futurus esto
Mendax, improbus & calumniator.
Prodi si qua tibi est honesti & æqui
Aut recti ratio, nisi patescas,
Istis atque fidem tuis ineptis
Scriptis feceris, usque & usque uilis,
Mendax, scurra, calumniator idem,
Famæ prædo bonę, satelles orci
Proles Eumenidum dicata Auerno, &
Dipsas scorpius aut scatens ueneno
Diceris, merito, bene atque recte
Diceris, sed & usque permanebis.

IN LIVOREM

O Liuor Cacodæmonis propago,
Quo non liuida corda cogis, & quos
Tu non impetis & lacessis hostis
Perpes, & probitatis & beatæ
Virtutis, sed & omnium bonorum,
Tandem iam scelus & lues nephanda,
Actutum hinc Acherontis ad perennes

Poenas arripiaris, igne tanquam
Quo ferues Stygio ustulande semper,
Vt dum arrodis iniquus & lacessis
Omnes fraudibus ac dolis honestos,
Sic iam iam lacereris ipse ab uncis
Dirarumque perennibus flagellis.

IN LINGVAM MENDACEM.

LIngua dolosa deus te destruet, optimus olim
Et Rex & Vates dixerat, eia time.
Mendax lingua time, summo despecta tonanti,
Qui nisi quod uerum est, diligit atque probat.
At Rex Eumenidum mendacia qui colit ipse,
Ipse dabit meritis præmia digna tuis,
Et merito, nam qui mendaci militat orco,
Debet ab inferna præmia ferre Styge.

IN PLVRIMA PLVVIARVM EXVBERANTIA.

HI Nymbi pluuiæ atque tot ruentes,
In nos sunt manifesta signa multæ
Irę cunctipotentis, en quod ipsi
Non flemus mala nostra negligentes,
Nostras ecce uices agens solutum
Multas in lachrymas uidetur ipsum
Quod nos contegit atque cuncta coelum.

AD HOSPITES SVAS APES.

NOstras uos quis apes error pertraxit ad ædes?
Creditis aut omnes mella habere Aonides?
Sunt steriles nostræ Aonides & mellis inanes,
His mellitæ & mel si dederitis erunt.

AD EASDEM

AVt fauis nostras eguisse Musas
Constitit uobis, uolucres tenellæ,
Vltro quid nostras adiistis ædes?
Dicite amabo.
Vos ego certe ex animo saluto,
Hospites gratas, libeat per annos
Siue tercentos habitare mecum hic,
Siue perennes.
Floribus uernis & amoenitate
Plurima, uobis ego dedicabo
Hortulum excultum, ueniunt meæ quo
Crebro Camoenæ.
Lecta de uernis uariisque quantum
Floribus uestri, uolucres tenellæ,
Cuius est uobis recreabit illas
Copia mellis.
Nectare hoc uestro recinent saturæ,
Cigneum quiddam, Orpheus atque quondam,
Cuius

Cuius ad Musas uiolentus & si
Constitit Hebrus.
Vngue testudo ferient tuas &
Promptius chordas, recinentq; digna
Auribus raris uel Apollineq;
Carmina tandem.

FILI MEMORARE NOVISSIMA TVA, ECCLESIASTICI septimo.

FOelix o nimium profecto foelix,
Curat qui sua, prospicitq; fixis
Rebus, perq; manentibus futuris.
Hoc certe sapere est, bene atq; recte.
Hoc est uiuere, cogitare semper
Vitæ labilis imminere finem,
Acre iudiciumq; iudicemq;
Iustum expendere, pensitare & usq;
Eius ante tribunal esse standum,
Vitæ cum ratione, cumq; tota,
Verborum atq; operum latentiumq;
Immenso agmine cogitationum.
Eheu quam memori tenere mente
Refert, sæpius atq; cogitare hæc,
Et non absq; timore id operiri.

AD D. PROCOPIVM DE HIS QVI IN MONASTERIO SVO preter ius & æquum atque etiam Dei timorem audent multa.

Diceris & uere, ut res est, hinc Teutonas olim
Ex his Procopi Diue fugasse locis.
Et quod maius erat, simili uirtute fugasse hinc
Diceris & Stygiæ tristia monstra domus.
Quæ patientia Diue tua est? impune uidere est
Hic faciunt quæ, gens impia, Protagoræ.
Eia age pelle forás istos, ut dæmonas olim,
Esse sciant curæ hæc nunc quoque Diue tibi.

AD HEROAS ROSENSES.

Patriæ splendorque decusque nostræ,
Maximi regni proceres Rosati,
Rex quibus Bemæ bene perque tute
Sospitibus stant.
Regulos uates latij uocant uos,
Romuli germen, Veneris minores,
Hinc rosam uestro in clypeo æstimantes
Matris amorum.
Robur at Bemum geritis lacertis,
Bellicis ausis animos quod aptos,

Vos

Vos ego Bemo potius putarim ex
Semine natos.
Quod tamen supra geritis Boëmos
Pectus argutum Latijs loquelis,
Vnde sacratæ fluitant abunde
Semina mentis.
Quis neget uestram sobolem latinam,
Sanguinem Anchisæ Veneris Remiq;,
Quod rosis Cypris dominatur inde et
Esse Rosenses.
Ergo Romanam studio calenti
Quæ colunt linguam cytharasq; Phœbi,
Romuli Anchisæ & Venerisq; proles,
Agmina amate.

AD VVLCANVM

ES Vulcane quidem genus deorum,
Adridere tibi at tui parentes
Haudquaquam potuere, plura nolo.
Nunc quid te precor has adire tanto
Ædes impetu oportuit, & atris
Has tantum temerare & usq; fumis?
Non hic igniuomi tui camini,
Quos aut Æolijs iugis & ipsis
Fumosis Liparæ foues in antris,
Fumant: desine ludere hos deinde hic
Ludos obsecro, uel tua precabor

Vt cum compare ludat usque Mauors,
Ludat, nec timeat tuas nec ullas
Artes, sed neque Cyclopum labores.
Quam o Phoebum male habent genusque Phoebi,
Non nescis, adamante & ęre fixi,
Subtiles Cyclopum & tui hi labores,
Cedunt sæpe male optimi & labores.

AD AMICVM

ADuersam quereris sortem, uel nescis amice,
Quæ tanti pia mens est medicina mali.
In melius mentem muta, mutabis & illam,
Sentiet effectum mens pia, crede deo,
Hunc prece mulce humili, pius est pater & pietate
Gaudet, quid deceat nouit & expediat.
Veri nos steriles, sæpe haud optanda rogamus
Quæ melius multo non habuisse foret,
Hic tibi danda dabit, nouit quæ profore semper,
In quæ non aliquid sors uaga iuris habet.
Foelix o nimium foelix, præcepta parentis
Qui sequitur, cui spes atque salus deus est.

AD MAGISTRVM IOANNEM HOZBVRGIVM DECANVM Ecclesię diui Stephani Litomiericij.

Hozbur-

HOzburgi multam poscit tibi nostra salutem
Aonis, & uitæ prospera cuncta tuæ,
Fœliciq; tuæ te formatore iuuentæ,
Tantorum proli nobilitate patrum.
Omnia salua cupit tua tecum clare magister,
Conspicuas ædes, templaq; sacra deum,
Te quibus æterni præfecit gratia Regis,
Quæ comite, atq; hospes, ut ratione regas.
Quod fœliciter ut cedat, cum laude perenni,
Gratia & æterni principis & domini.
Vitiferi colles, uester regnator aquarum &
Albis, Litmiria, & nobilis ille situs,
Vt te delectent, faciant & uiuere longo
Tempore, & optata conditione frui.
Ne eueniat quicquam tibi seu graue siue molestum,
Vt lætis adsint omnia plena bonis.
Famam quam tibi tam celebris doctrina parauit
Vt firmet uirtus augeat atq; tua,
Augeat & firmet sic ut crescentibus annis
Grandescat semper fiat & uberior
Hæ sunc Aonis ex animo mea, clare magister,
Quas tibi uult mecum, & usq; precatur opes.

SIMON VILLATICVS MARTINO LEONITIO.

REcitasti mihi nuper, Martine in domino dilecte, distichon quoddam ut aiebas Poëtae cuiusdam his diebus a Lipsia Pragam aduentitij, quo ille, tametsi supresso nomine, acriter certe, et petulãtius quam decuit perstrinxit nescio quem, Perstrinxit, inquam, ergo propterea quod ædiũ suarum parietes prudenter sciteq; dictis philosophorum inuestierit, atq; hoc ineptũ, criminisq; loco habendũ & merita reprehensione dignum sit. At uero quoniam in urbe nostra Prageñ, quod sciam, tota, uel tuo testimonio, uix sit inuenire domum alicuius ad hunc modum scitis sententijs atq; mea est inuestitam, Haud immerito itaq; hoc pupugit mentem meam, & subinde cogitandi præbuit materiã, quid hoc nouæ rei sit, atq; id quorsum spectet: Non cogitare siquidem nõ potui, in me oblique directũ telũ, molimenq; quoddam esse inuidiæ, tametsi minime incertus sim, hoc ipso nihil me merita reprehensione dignum fecisse. Enimuero, ut alios clarissimos eosdemq; iam æternitati consecratos authores taceam, Magnus seculo nostro Erasm. Rot. ille Erasmus omnium disciplinarum, & linguæ utriusq; sine ulla exceptione facile princeps, in libro suo de pronunciatione, id faciendum docet, Quin optat sua omnia id genus picturis esse inuestita. Itaq; homi-

hominis illius, cuius tu meministi recitastique mihi memoratum distichon, demiror factũ, iudicio quidẽ meo minime probandũ: eũ præterea retulisti uenisse Pragã, cũ amicis, quos hic se habere dicit, nescio quid agendi gratia: addidisti coniectare te, factũ id eorum impulsu. Tales ego amicos certe ex illius facto hoc temerario æstimo haudquaquam synceros, sobriæque mentis, ut quos in rem improbam instigare nõ puduerit. Lusi super eo Hexastichon, quo illũ, quisquis est, uolo admonitũ, ut paci studeat potius, pięque tranquillitati, ne fortasse prẹter omnem necessitatem insectando honesta, audiat deinde uicissim, quæ doloris sensum pariant. Ad hunc modum & cum inuidia colluctari libuit, tum & eorũ, sed oppido quam stricte meminisse amicorũ. Cum inuidia ago fusius, ut quæ uirulenta sua planeque Stygia malignitate impetit quicquid usquam extat & unquam extitit eximij, quæ nimirum hunc & illos eo poenitendę temeritatis perpulerit, sed iam ea lege, & boni & æqui consule.

Hexa-

HEXASTICHON

QVo melius possit paries consultus Erasmus
Inuestiri, inquit sensibus eximijs.
Id ratione uelim qua damnet liuor iniquus
Nosse, reor qua quod odit obisse uelit.
Scripserat Archidamus quondam Elegis bene certe
Paucis, quam bona sit pacis amica quies.

AD INVIDIAM

HÆc benefacta sequi laus quin & gloria debet,
Quæso quid infœlix hic facis inuidia?
Recte cum factis tibi cur certamen iniqua est?
Virtuti tantum cur nocuisse paras?
Cur luges agedum sic suspirasq; gemisq;
Prodis sic tristis cur male sana? refer.
Ille tuus siquidem uultus uere Niobeus
Est, ego te uisa crediderim Nioben.
Nosse uelim tanti quænam sit causa doloris,
Atq; tuæ tantæ dicito mœstitiæ.
Sum fateor qualem me tu dicisq; putasq;,
At mea facta tibi dinumerare graue est.
Illa etenim damnanda scio ridenda pudendaq;
Ergo premenda forent forsitan illa mihi
Sed pertæsa meos tantos miseranda labores,
Impellor uerum dicere adacta malis

Lau

Laudes uirtutem & quæ præmia sæpe sequuntur
Sunt mihi carnifices, uerbera, pœna, dolor.
Hinc oculis dolor est, hinc perpes pallor, et hinc est
Illud uirtuti tam male uelle meum.
Huc adigunt etiam famulæ pallentis Auerni,
Omnia grata sibi quæ mea facta sciunt.
Hinc mihi nulla quies, hinc maxima cura nocēdi est,
In quod quin totis uiribus insto meis.
At frustror quoties plus tunc quam mille dolores
Me cruciant miseris dilacerantq; modis.
Liuor hic inde meus, facies fœdissima, turpis
Aspectus, reliquum nonne uidere licet?
Debeo coniunctos simul hic deflere & amicos,
Qui mecum ex uano sæpe labore dolent.
Sæpe gemunt mecum, spe frustrati mei amici,
Marsia quam uictus turpius atq; habiti.
Improba grassatrix, hostis uirtutis, honesti
Nominis, & famæ uipera, prædo, lues.
Hoc opus est scelerata tuum, labor unicus ille, ut
Possis ingenijs semper obesse bonis.
Semper obesse studes sanctæ uirtutis amicis
Idq; facis semper, quis potes usa modis.
Abripe te procul hinc portētum, belua, monstrum,
Commoda tartarei præda futura canis.
Et non credo tuis scelerata patratis,
In pœnas unum ut sufficiat barathrum,
Improba quin tales & amici, pessima ut illi,

 Propu

Propudium, clades, proluuium, rabies.
Abripe te ex oculis furiarum pessima, & earum
Aut soror aut socia, & sæuior una tribus.
Indigna affatu porro uisuq; bonorum
Non indigna tuis luride Pluto rogis
Et uestris Acheron Phlegetonq; paludibus, illuc
Quin mox pro meritis abripiare tuis.

IVSTE IVDICATE FILII HOMINVM.

PLebem qui moderaris & gubernas
Iuris arbiter & patrone iudex,
Prudens iustitiæ uigore sanctæ
Id præstes, memor omnium potentis
Iusti iudicis, unde manat omnis
Mundi gloria, honor sed & potestas,
Cuius stare tribunal ante debes,
Omni cum ratione creditorum.
Rebus porro igitur tuis futuris
Faxis consule dum potes licetq;,
Si nescis tibi consulam, & docebo:
Mox sis iudica ut ipse iudicandus.

IN LINGVAM SCELERATAM.

IN speciem exiguũ membrũ mala quãta frequẽter
Et sanctis etiam noxia lingua paras;

Sepse

Sepſerit ingenioſa parens natura licet te,
Officij poſſis quo meminiſſe tui,
Quin mendax ne ſis ſanxere etiamnum,
Iuriſiurandi ut addita forma foret.
Crux, Euangelium atq; ultra quod poplite flexo hic
Fit, quæſo te an non illa mouere queunt?
Præterea peieras oblita tuiq; deiq;,
Quantas tu pœnas o ſcelerata lues?

SIMVLATORES ET CALLIDI PROVOCANT IRAM dei, Iob xxxvi.

OFfendunt ſimulata deum, ſimulator ab ira
Principis ætherei non bene tutus eris?
Vel non eſſe tuos aſtus crediſq; doloſq;
Notos, omnia qui ſcitq; uidetq; deo?
A ſuperis non hæc prudentia labitur, atqui
Inferno hoc uirus profluit & barathro.
Vel te Iob patientis uox non terret in imo
Quæ ſculpenda animi pectoris atq; ſinu eſt,
Nimirum inſculpenda animo uox qua monearis,
Et fugias monitus turpe nocenſq; malum.
Terribilis ſummi ne te ſententia tangat
Iudicis, ulli non inficianda homini.
Hoc monuiſſe meum ſanctum fueritq; piumq;,
Et fœlix, ſi te flexerit in melius.

IN QVENDAM STATVS SVI PRIORIS CONDITIONISQVE oblitum, atque ita falsa opinione superbientem.

INdulgens tribuis tibi arrogásque
Plus iusto, cupis atque aues haberi
Id quod non es, inepte iam beatum
Te credis, liquet esse enim beanum.
Ad te stulte redi, et quod es memento.

AD MAGISTRVM IOANNEM HOZBVRGIVM.

SEria cum linques, per curas quando licebit,
Quando aliud quod agas non erit, ista lege.
Qualiacunque licet sint hæc, fac sic lege quæso,
Vt placitura minus & uitiosa seces.
Consilio bene res agitur, res consilio stant
Atque cadunt, sano stántque uigentque bono.

EPIGRAMMATVM LIBRI TERtij & ultimi FINIS.

In

IN DEPOSITIONE DE CRVCE MATRIS VIRGINIS Lamentum.

INter uirgo parens est quot perpessa dolores,
In cruce dum uidit, maximus ille fuit.
Proximus huic fuerat, liuens cum de cruce corpus
Depositum iacuit uirginis in gremio.
Suffusam lachrymis tunc singultantia matrem
Credibile est nato hæc uerba dedisse suo:
Qualem nate dei te, nate redemptio mundi
Aspicio, tristis & miseranda parens.
Ecce meum pectus Simeonis perforat ensis,
Perforat, & totam mucro doloris habet.
O pectus placidum, sine fraude manusq; pedesq;,
O caput, o uultus, ora, labella, genæ,
O & sydereis uos ęmula lumina flammis,
O toties nostris ora refecta cibis.
Qualia uos uideo, heu multo mœstissima, quantum
Ante beata parens, & benedicta fui.
Defecisse sub hæc miseram, potuisse nec ultra,
Singultu medios impediente sonos.

LIBER TVMVLORVM.

AD GENEROSVM ADOLESCENTEM D. NICOLAum de Ricziano discipulum suum Præfatio.

ADMONITVS ABS TE IDENTIdē Generose adolescens, ne ea quę cōsuetudine mea quādoq; animi causa, pro occursu temporis & materiæ, scribere soleo Epigrammata & id genus alia, disiecta paterer per negligētiam penitus interire, quia scilicet ex amore, quo me semper prosequutus es, iudicas, illa qualiacunq; neutiquam esse negligenda. Tametsi res aliter longe quā tu iudicas habet, Sic enim iudicas ex amore, qui te transuorsum agit. Sed nō ego mei sum nescius, neq; ignoro quid illis desit, quanquam humana formident iudicia, Humana inquam iudicia, quorum plerumque semper liuor locum obtinet. Vtcunq; inhumanum arbitratus sum refragari tuis precibus tam instantibus. Quid enim est quod amori tuo uel cum detrimento pudoris mei non debeam impendere? Obsecutus itaque illis tuis precibus, quibus nihil negare

pos-

possum, mitto ad te interea tumulos meos conscriptos, ideo scilicet maxime, quia cum nuper nobilissimæ parenti tuæ Eulogium, & tumulum tandem etiam scripserim, memini quam cupide gratoq; animo eadem exceperis, legeris, mihique egeris gratias. Mitto inquam ad te Tumulos meos, ut his, qualescunq; sint, ego meam erga te tester beneuolentiam, & tu habeas monumentum aliquod Villatici preceptoris tui, habeas, legasq;, atq; legens (quod apprime salutare ille Iesus filius Syrach iudicauit) frequentius memineris te quoq; aliquando moriturum. Vale foeliciter, atq; ut soles dilige præceptorem.

Tu-

TVMVLVS S. VITI

Iambicum Trimetrum.

HOc ossa sacrata & beatos pulueres
Marmor quod inspicis uiator continet,
Viti puelli, Christe martyris tui,
Certe colenda ossa & beati pulueres
Digne, ut quibus tantum datum sit gratiæ.

AD LIMEN SACELLI D. VENCESLAI.

IN terris quondam princeps, celeberrima gentis
Gloria, lux patriæ spesq; decusq; suæ,
Qui quondã patriam ornabat, nũc astra, sacello hoc
Ossa relicta sacer Vencesilaus habet.
Quod quicunq; subis uenerator, adisq; sepulti hic
Huius tam sancti busta beata ducis,
Inijce thura focis, & odoro perlue nardo
Sarcophagum, adiungens balsama sparge rosam
Inq; preces animum pronus linguamq; resolue,
Et pia cœlesti dicito uota patri.
Si tua uera fides, hoc subueniente patrono,
Hic quæcunq; petes, irrita nulla petes.

AD TVMBAM D. ADALBERTI.

Seruat

SEruat Adalberti cineres hæc urna beatos,
Hos cole quiſquis ades, & uenerare locum.
Sic domino coeli tua uota precesq; placebunt,
Quæ optatum tandem, ut grata, ſequetur opus.
Quæ domi ſiquidem ſanctis impenderis, ipſi hæc
Qui fecit ſanctos crede probanda deo.

AD TVMBAM DIVI SIGISMVNDI REGIS.

OSſa Sigiſmundi Regis ſacrata, uel ipſi
Iam cineres, iſto ſunt tumulata loco.
Qui commutauit uitam cum morte, redemptor
Ieſu pro ſancta, teq; tuaq; fide.
Eſt ara hæc, non urna, colas hæc iſta uiator,
Qui cecidit pro dijs, ſtat deus ante deos.

AD TVMVLVM DIVI PALMATII IN ARCE Carolina.

PAlmati martyr ſanctiſſ. cuius in urna hac
Depoſiti cineres, oſſaq; ſancta iacent,
Spiritus in coelis ſed iam pro morte perenni
Perfruitur uita, perfruiturq; deo.
De coelo ante tuas aras, heus Diue, clientum
Reſpice profuſas cum precibus lachrymas.
Fuſis de lachrymis miteſcet iuſta tonantis,
In nos ira dei, te referente preces.

Eia refer, functus patroni munere, habebunt
Vim patrocinio, Diue patrone tuo.
In te spes nostras deponimus, eia beate
Martyr, tu nostræ dirige nauis iter.

TVMVLVS QVARTI CAROLI IMPERATORIS.

Phalæcium Endecasyllabum.

QVartus Carolus Imperator, ille
Primo non minor undecunq; magno,
Qui cum terq; quaterq; reddidisset
Foelicem patriam hanc, subinde lege
Communi hinc hominum omnium ad beatam
Concedens requiem, hac iacet repostus
Sacra quam faciebat æde. Quantos
O quantos cineri huic Boëmi honores
Debetis? nisi uultis usq; quaq;
Tantorum immemores bonorum haberi.

AD SEPVLCHRVM DIVI IVANI HEREMITAE IN ANTRO QVOD dum uiueret inhabitauit, ubi etiam post pia fata sepultus recubat, Heroicum.

Antra

ANtra hæc horrifico tenebrosa situ, inuia quōdã
Saxa, Iuanus pater incoluit, contagia mundi
Vitans fallacis, superis & uiuere Christo
Nimirum exoptans tantum, cœlumq; mereri
Quas etenim non illecebras, quod quæso scelus non
Mundus habet? quem non inuitat ad impia facta?
Hunc ergo fugiens iusta ratione beatus
Ille pater, uictu hic parco, syluestribus herbis
Scilicet, & baccis uoluit contentus & unda,
Deuitando hominum coetus & singula mundi,
Subiecisse deo mentem, corpusq; rebelle
Efficere ad quęuis patiens conamina uitæ,
Cœlestis, lachrymis oculos & pectora pugnis
Exagitare, redemptoris crudelia Christi
Vulnera, & innocuo currentes sanguine riuos,
Perpetuo humanæ meditari tempore uitæ,
Mentem castificam seruare carereq; culpa,
Degere præterea cœlestem in corpore uitam,
Sic pater ille pius sanctarum candidus auctor
Virtutum, & prorsus uitæ optima regula sanctæ,
Hic uiuendo exempla dedit, quin posteritatem
Instituit contemnere opes & uiuere paruo,
Non seruire uoluptati uentriq; gulęq;,
Ponere auaritiæ studium, mentisq; tumorem,
Per sua cœlestes simul & uestigia sedes
Quærere, & ultorem scelerum superesse tonantem,
Credere, stellato librantem singula cœlo

Iusta lance, pijs sua pręmia, suppliciumq;
Reddētem sceleri meritum, Phlegetontis ad amnē.
Sic eius tandem post ultima scandit in altum
Æthera, coelorum sortitus spiritus arcem,
At cineres positi parua hac clauduntur in urna,
Quos tu quisquis ades, spectans uenerare uiator,
Huncq; tibi precibus fieri contende patronum.

FABRICARVM ECCLESIAE PRAGENSIS.

EGregij profecto & multa laude ferendi
Artifices, hoc quos testificatur opus,
Hoc opus egregium, uenerabile, nobile, sanctum,
Quorum declarat rite magisterium.
Omnes quotquot sunt certe, quot eruntq; futuri,
Arte hac pręstantes eximij artifices.
Hos possunt mirari tantum, imitarier atq;,
Exęquare tamen, tarda futura fides.
Rex Solymus summo structurus templa tonanti
Optasset quos, & rebus adesse suis.
Optima melliti si facta sequuntur honores,
Horum perpes erit gloria, fama, decus,
Illorum ueneranda tegunt hæc corpora moles,
Ipsa beant animas coelica regna pias.

Ad

AD TVMVLVM D. ROSENTVM, ASCLEPIADEVM CHORIAMBICUM CUM GLICONIO.

PAulum præteriens ſiſte gradum, & lege,
Hoſpes quiſquis ades, ſemideum cinis
Hoc clauſus latitat loco.
Magnatum ſoboles, progenies uetus,
Cunctis nota uiris optime & exteris,
Bello, pace, potentia.
Hic poſt ultima quam fata peregerit,
Ex hac luce migrans ad loca ſyderum,
Elegit cineri locum.
Non eſt cur titulos notificem Roſæ
Adpictæ hic, procerum ſigna potentium
Monſtrant, hoſpes abi et Vale.

ALIVD

ADdere ſimpliciter tumulo quiſquis uolet iſti
Legitimum titulum, ſcribat: in hoc tumulo
Sunt cineres procerum de nobilitate Roſarum
Magnifica, haud opus eſt doctius aut melius.
Irradiat uirtute ſua ſe clara Roſentum
Sic domus, ut radijs pulcher Apollo ſuis.

D. BOHVSLAI DE HASISTAYN.

MAgnificę sobolis uates generosa propago,
Cuius honos merito pulsat utrumq; polū,
Terras qui tractusq; maris gentesq; remotas
Pernouit, rerum semina quiq; uices,
Astra, deos, musas, cœlum, imperialia, leges,
Scripta, suo iam qui clauserat ingenio,
Pallada qui Latiam bene tam coniunxit Achiuæ, ut
Græcia quicquid habet, nosset & Hesperia,
Ille Bohuslaus Bœmorum gentis honestas,
Mole sub hac, fato raptus ab orbe, iacet.
Vel Schyta uel Garamas cēsendus quisquis ad huius
Non largo tumulum sparserit imbre genas.

ELOGIVM NOBILIS MATRONAE.

FOemina clara genus, faciem uultumq; uenusta,
Fida uiro coniunx, prolis amica suæ.
Si mores spectas, heu quantum Laodomia,
Aut uel Penelope nobilis illa quidem.
Occidit immiti mors heu damnanda querela es,
Debuit hoc pietas prohibuisse nephas.
Exhibet in partu fidę dum munia matris,
Dum sobolem saluam percupit esse, perit,
Conflictaretur magno dum parturientum
Qui solet in tantis esse dolore malis.
Consule fida parens tibi consule, dixit, amabo,
Sæpe pater, proli dixit at illa, iube,

Sic

Sic ubi uult proles uitam ne perderet, ipsa
O amor, o pietas, sedulitate perit.
Quur Heroinis priscis nuribusq; Sabinis
Hanc non testeris fama fuisse parem?
Scilicet ipsa meret, qua uiuit Portia, famam,
Quodq; tenet magnum Laodomia decus.

EADEM MATRONA MORIENS MARITVM ALLOquitur. Iambicum Trimetrum.

HEus heus marite, charior uita mihi,
Vale, uale, mei tamen memor uale,
Extrema tecum uerba mortis in uia
Misera loquor, dolore fati languida,
Prolis tamen magis tuiq; percita
Amore, tum sodalitate mutua,
Concors quies, iucunda uita, placens thorus,
Constans fides, ditiq; proles in domo,
Bona quæ quidem mortalium pulcherrima
Putamus, aura dum fouemur ætheris.
Heu quem marite non dolore pergrauent
Leges necessitatis? at uolunt graues
Equæ bonis & omnibus, feramus fortiter,
Non quicquid est mutare phas mortalibus,
Meum marite cor, placens ocellule,
Fuit parentis hoc piæ, nunquid uelim,

Eheu

Eheu uel hoc marite ſolo lædere
Sociam fidem, ſcelesta, ubi partum hunc dea
Genitalis inclemens, reliquit, me ſimul
Tantis parentem flebilem ſeptam malis,
Vt ferre proli nolim opem meæ, parens
Nephanda, pectus obſoleta colchide:
Præstat pie uocata matris nomine,
Parens ferar per multa fama ſæcula.
Tu mi marite, mi lubens ocellule,
Prolem relictam cura, amoris pignora,
Hoc charitas, maternus hoc amor petit,
Nam corde flamma ſub meo tu uiuida
Viues perenne, uana ni poſt funera
Sit ſpes, amor iubet, benignitas, fides
Iſthuc, marite flos uirum omnium: meo
At tu puer uitam exitu cui parens
Volui eſſe, tantum ut uiueres, ipſa & mori,
Dignus parente fac ſies, meritum & pię
Parentis hoc condas tuo ſub pectore,
Pari ſuum tua te ut colat tandem patrem
Amore proles, qui fuit meus in te amor.

AD TVMVLVM EIVSDEM.

CAstus amor lachrymat, flet matronalis hone(stas,
Mœret forma, decus, ingenuusq; pudor,
Ingeminat planctus triſtes, ſtudioſus honeſti
Quiſq;.

Quiſq; , tua offenſus nobilis Elſa nece.
Ecquis naturæ leges non damnet, & uſq;
Non incilet opus impia Parca tuum?
Sit tibi terra leuis, non te lapis iſte fatiget,
Gaudeat umbra deo, ſemper & urna roſis.

TVMVLVS M. AMBROSII OLIM ADMINISTRATORIS ECcleſiæ Pragen̄.

PElſina me genuit, docuit Lipsk inclyta, honeſto
Praga dedit tandem fungier officio.
Ambroſio nomen, patriam dixi, Eccleſiæ huius
Prælatus, notum dogma magiſterio.
De ſe plura nephas, taceo, poſt ultima rerum hic
Cœlum animam, partas cepit amicus opes.

FRATRIS NICOLAI HOLAVBEK.

DElíciæ fratrum , diuini normula cultus,
Ordinis & ſanctæ relligionis honos.
Ille pio ſemper Nicolaus amore colendus,
Dum ferat Hybla Thimos & ſua ſigna polus.
Alitis innocuæ uero cognomine dictus,
Innocuus rara ſimplicitate pater.
Verius exemplum uitæ non quære beatæ,
Amuſſis nobis hic fuit atq; temo.

Hic iacet humanæ defunctus munere uitæ,
Hic, iacet Elysium possidet umbra nemus.

IOANNIS BOROVSKY.

HIc situs est Ianus post ultima fata Borousky,
Presbyter in sacro dogmate doctus homo.
Qui uiuens iter augustum, subamœna docebat
Atria coelorum, stelligerosq; Lares.
Non Ianus, Iani sita tantum hic ossa sepulti
Spectas, interior Ianus ad astra abijt.

EVLOGIVM AD TVMVLVM FRATRIS.

HEi mihi tu putres, ego langueo, nuper adempte
Frater, pars cordis dimidiumq; mei.
Quin ultra quiddam q̃ pars, at iam tñ omne,
Nuper quicquid erat, hoc iacet in tumulo.
Quo uenio quoties, fraterno tractus amore,
De luctu et lachrymis, deq; dolore miser,
Tot traho funesti suspiria cordis ab imo,
Infœlix mater quot Niobe in Sypilo,
Et lachrymis etiam miseras miscendo querelas,
Quam turtur uiduus mœstior atq; gemo.
Inter tot tamen & gemitus & uerbera mentis,
Versus ad æthereæ lucida signa domus,
Diuos suppliciter omnes in uota fatigo,

Quam

Quam puris possum, pectore, uoce, prece.
Sit tibi terra leuis clamo, sit conditor orbis
Clemens, o uita frater amabilior.
Cogit amor, pietas urget, dum uita manebit,
Me sic uelle tibi, sic meminisse tui.

VENCESLAI FAGELLI TVMVLVS.

SVbsiste si uacat uiator ac uide
Exile sed, paruumque quod uidebis est,
Viri est sepulchrum hoc rustici quidem, at boni,
Hæc accolę per rura tesqua, tum iuga
Quem predicant uirtute præditum & fide
Fuisse, gentem olim Sabellam ipsam ferunt
Qualem, fuit Vencesłaus nomen uiro,
Fagellus antiquo patrum prænomine,
Colles per hos & rura tesquaque & iuga,
Sic notus omnibus, perinde qui optime.
Ad hæc superfluum uidetur, ut tibi
Vnum uel adiungam magis uerbum, Vale.

IN FVNERE PARENTIS, IAMBICVM TRIMETRUM.

PArentis optimi ossa, quicquid aut fuit
Magis caducum, natus inferens humo,
Fletu rigans funus piisque lachrymis,

Hæc mœstus ex dolore funeris pio est
Adfatus, hoc quicquid parentis est mei
Habeto tellus, non (precor) grauis sibi
Tu at cœlum, & o cœli sator deus, alteram
Æternitatis compotem partem sui,
Fœlicibus donate sedibus, preces
Hæ sunt parenti debitæ, ratas face
Deus, parentes qui colendos præcipis.

LAMENTVM IN MATRIS OBITV.

VIx bene funereos planctus dulcissima Mater
Defleui & patris ultima fata pij,
Cum mihi tu pariter cunctis lugenda diebus,
Scilicet & fletu perpete flenda uenis,
Tam celeri sequeris passu dum fata mariti,
Et me neglecto, qui tibi solus eram.
Vnus solus eram natus tibi nanque superstes,
Seruarunt unum his me mea fata malis.
Orbus utroque igitur, nisi me lex illa leuaret
Naturæ, & notæ perpetuæque uices,
Atque exempla simul toti notissima mundo
Essent im promptu, pharmacon hoc miserum.
Quæ meditata quidẽ releuant utcunque gementem,
Quin lachrymas sistunt imminuuntque meas.
De lachrymis aliter fletu gemituque doloreque
In liquidas fueram iam soluendus aquas,

At

At quid proficerem? siquidem si fecero quiduis,
Aufugere id non est, sed neq; corrigere.
Quãdo quidem superum magnũ uoluisse deorũ est,
Et nihil aduersum proficit esse deos.
Vnanimes animæ, mentes pietate fideq;
Sanctæ, coniugij regula porro pij,
Virtutis studium quas relligionis amorq;
Acceptas fecit reddidit atq; deis,
Quos quoniam pura coluistis mente, beatas
Vos illi ad sedes, & sua regna uehant.
Illis usq; precor coniuncti ipso in uertice mundi
Sitis, in æternis iamq; ibi delicijs.
Id uobis semper deuota mente precari
Debeo, synceris ex animo precibus.
Illuc donec & ipse pari deuenero fato,
Vobiscum sine tunc fine futurus ibi.
Sed tamen interea uestri mihi cura manebit
Perpes, & in nostro hic pectore uiuet amor.

TVMVLVS MATRIS

MVlta tibi genitrix charissima debeo, reddam
Profore quæ credã, uota, holocausta, ꝑces,
Quæ deus exaudi clemens, ueniamq; parenti
Dando meæ, turmis insere cœligenis,
Corpus truncus iners, habeat sine pondere terram,
Spiritus in superis sedibus hospitium.

Hæc ſunt chara quibus genitrix tibi uota parento,
Hæ ſunt quas facio manibus exequiæ.

TVMVLVS D. DOBSII A CZYERNINA.

COelum animã Dobſij, ſed nomẽ patria ſeruat,
Quod mortale fuit, conditur hoc tumulo.

TVMVLVS ABBATIS AVLAE REGIAE. HEXAmetrum cum Iambico Dimetro.

VEnceſilaus Abbas reuerendus, quẽ uetus olim
Produxit orbi Pelſina,
Hoc iacet in tumulo, poſt ultima fata ſepultus,
Nam hoc ſic habet neceſſitas.
Quã meritus fuerit bene de patribuſqȝ locoqȝ hoc,
Relinquo famæ dicere.
Facta loquentur item, deſideriumqȝ relictum
Sui profecto maximum.
Huic nos æthereæ ſyncero pectore fratres,
Precemur aulæ copiam.
Ex aula ut regis, cœli concedat ad aulam,
Iam aulæ dei ut ſit aulicus.

FRATRVM IN AVREA CORONA, HEXAMETRVM CVM DActylico Alemanico.

Hic

HIc furor hæreticus fratrum pia corpora flammis
Vssit & inscius intulit astris.
Afferet his ne tempus edax obliuia rebus,
Iupiter omnipotens statuit, sic
Implicet ut folijs arbor ramosa cucullos
Miram hanc noscito posteritas rem.

HIERONYMI
MVLTZPLOS.

IN medio cursu uitæ dum posse putabam,
Res obeundo graues, exeruisse caput,
Ecce cado charis multum deflendus amicis,
Sed quid? an est lachrymis hoc reuelare malum;
Legibus æternis mortis num forte reniti est?
Quicquid prognatum est imminet ad Lachesim.
Omnia nata ruunt, mors ultima linea rerum
Inijcit immites omnibus ipsa manus.
Clementem mi posce deum, spectator amice,
Est nihil utilius quod mihi præstiteris.

HVLCZAR ORGANICI

ORgana facta tacent, Hulczar iam muta sepulto,
Musica et ipsa silet uili adoperta Sago.
Occidit illorum quoniam cultorque magisterque
Optimus, artifici pectine, uoce, manu.
Cuius in occasu tristes fleuisse Camœnas
Credibile est, Phœbum & deposuisse lyram.

Credibile est Lachesim tantũ hoc damnasse sororis
Factum, hæc Parca sit & de tribus una licet
Atropos immitis, sed & heu crudelia fata
Auribus & sensu uos caruisse reor.
Hic putret ille Linus noster seu dicere mauis
Hunc Amphiona tu, seu Timothea potes.

IN MORTE IANI PVERI.

PArue puer, non parue dolor sublate parentũ es,
Heu cito crudelis facta rapina necis.
Ah pudeat facti Parcas, atq; impia fata,
Scilicet hic flos iam falce metendus erat.
Anni sex, nec dum, species Ganymedis, Hylæue,
Deliciæ matris, atq; parentis amor.
Immites Parcas nimium, & crudelia fata,
Tam cito quæ uernas præcipitatis opes.
Si fœcunda fores, non Atropos impia tantum,
Eheu te credam posse patrare nephas.
Eheu blande puer, luctus lachrymæq; parentum,
Olim lenimen, gaudia, lætitiæ.
Donec fata sinent, nos ad tua busta uirentes
Spargemus flores, purpureamq; rosam.
Scribemusq; tuo carmen tumulare sepulchro,
Hoc erit, hoc nullum uerius esse potest.
Gaudia, deliciæ, risus, iociq; parentum,
Olim: iam luctus, & dolor & lachrymæ,

Hic

Hic ſitus eſt Ianus, diuum inclementia prorſus
Præpropere hinc noſtro raptus ab orbe puer.

FILIAE NOBILIS D. IOANNIS DE BIESSYN.

MArtula delitiæ patris, matriſq; uoluptas,
Tandē facta dolor, rapta quod ante diem.
Hic iaceo lachrymis nimium irrorata parentum,
Et defleta diu, rapta quod ante diem,
Sic placuit quorum nihil eſt reuocabile diuis,
Siſte parens lachrymas, rapta quod ante diem.
Hęc naturę lex Parcarum immobilis ordo hic,
Siſte parens lachrymas, rapta quod ante diem.

INGENVI ADOLESCENTIS VENCESLAI Vidlak.

VEnceſlaus quicquid mortale tenebat hic ecce,
Poſt ſua fata tenet condita ſarcophagus.
Moribus, ingenio, formæ bonitate beatus,
Huic niſi naturæ lex nocuiſſet atrox.
Hunc qui nouiſti nuper, dum uita manebat,
Ditem naturæ muneribus iuuenem,
Raptum præpropere, hac tellure putreſcere tandem
Certus, fatorum conditione rata.

Nosse potes, nostra hæc quæ sit natura, simul quam
Angusta miseri conditione sumus.

D. ZDENKONIS
A STELLIS.

MAgnificos inter celeberrimus ille Boëmos,
Stellifer hac Zdenko cõtumulatur humo.
Cuius ni lucem clarissima stella dedisset,
Passa fuisset atras sancta fides tenebras.
Iam radiat coelo fidei quæ fulserat olim
Stella, decent tantos præmia tanta uiros.

IOANNIS SSLE-
CHTAE.

QVem deus & natura mihi tribuere peracto
Cursu, terra tibi uile cadauer habe.
Quod fortuna dedit, nati teneatis & uxor,
Tu paradisiacas umbra require dapes.
Velle meum moriens supremum hoc Sslechta Ioẽs,
Tandem post mortem, dixerat, esto ratum.
Mortuus hic tumulatur, habet tellus & amici
Quisq; suum, Manes sunt ubi uita docet.

D. NICOLAI
FRASCATORIS.

VNa sacerdotum & non ultima gloria certe,
Et morum & uitæ regula certa bonæ,
Hoc Nicolaus habet Frascator condita busto
Ossa, per immites raptus ab orbe deas.
Cuius de uita in terris tam comiter acta,
Fama uolat, gaudet spiritus, urnæ honor est.

VIRGINIS ANNAE

VIrgo pudica decens, teneri flos candidus æui,
Atq; suæ ætatis & probitatis honor,
Rapta suæ uirgo iacet hic de flore iuuentæ,
O mors hoc debuit non licuisse tibi.
Parcæ crudeles, & tu prima Atropos eia
Debebas rapidam hic continuisse manum.
Gratia, forma, pudor, tandem illa probata uenustas
Oris, frons, oculi, pulchra labella, genæ,
Omnia mortali uestro de uulnere mixta
Et conuulsa simul, & uiolata simul
Hic putrent, olim iuuenum tot gaudia, luctus
Iam tot eorundem, tot simul & lachrymæ.
Nemo sibi toto quicquam promittat in orbe hoc,
Imminet omnibus ah quæ rapit omne quod est.

M. PAVLI PRAGENSIS.

ASTra, deos, Musas, sed quicquid & usque profundo
Ingenio aut Plato, aut scribit Aristoteles,
Rimabar uigili cura, studioque laborum, &
Iam foelix messis nostra metenda fuit.
Hæc interrupit mors, mors animis iuuenũ hæc tam
Inuida quàm nobis, inuida quàm patriæ.
Quod uolui & potui, iuuenum prodesse labori
Et domui & patriæ consuluisse meæ.
Hoc interrupit mors, mors quæ cuncta prophanat,
Inuida tam domui illa inuida quam patriæ.

DIVAE BENIGNAE

VNdenis de milibus una Virago sacrata,
Moribus & uita dicta Benigna bene,
Hoc contecta loco recubat, sed paupere fulcro,
Diuitiore sedet, sede reposta polo.

VRBANI DE CHRAST.

SI quis de censu foelix, de prole beatus,
Si quis uirtutum laude probandus erat,
Hic Vrbanus erat raros inter referendus,
Prorsus natorum conditione parens,
Gratus magnificis, quin certo Regis amore
Sub titulos missus, factus & inde nouus.

Sed

Sed quid? nec fortuna potest preuertere legem
Fati, uis cuius omne prophanat opus.
Occidit, hocque iacet post fata loco, ibimus omnes
Sic miseri, quoniam puluis & umbra sumus.

SCHOLASTICI BO- NONIENSIS.

ERgo iaces tandem scelerum sentina caputque,
Nimirum merita morte perempte iaces.
Hanc tibi iampridem pestem tua facta canebant,
Pro factis uenit iusta ruina tuis.
Sero licet punit, punit tamen ultor ab astris,
Vt uult, & cum uult, certus hic ultor adest.
Ausis nemo malis plaudat, male rite perennant,
Sunt plena exemplis omnia tuque miser.

AD OSSVARIVM. IAMBICVM TRIME- trum.

QVisquis locũ hũc plenũ ossibus perambulãs,
Spectas, sepultis hic prece intima & pia
Succurre, spectator bone & frater pie,
Gratam reposces dum recepturus uicem,
Si & non reposcas, quin recepturus tamen,
Rependit omne nam bonum, scit qui omnia
Creator

Creator omnium deus, cui magis
Opus pium, pinguis placet quam uictima.

IODOCI PVERI

VOce puer placida, potuit qui blandula Syren
Et sanctis dici moribus Hyppolitus.
Dignus pro Ganymede daret qui pocla tonanti,
Apta ministerio tam fuit ista manus.
Infausta perijt depastus peste Iodocus,
Hoc puerile decus hac tumulatur humo.

ANNAE NOBILIS FOEMINAE.

COmis, blanda, faceta, uenusta, pudica, fidelis,
Chara uiro sancta de probitate suo,
Fœminei specimen, sed & inclyta gloria, sexus,
Anna sub hac pridem rupe reposta iacet.
Sed non fama iacet, pars aut quæ debita cœlo est,
Tantum mortale quod fuit occubuit.

MAGIST. THOMAE

DOctrina uitaq; bonus Tinensis in isto
Sarcophago Thomas ossa habet aut cineres.
Ille magister in hac olim uenerabilis æde

Sacra, nomine qui notus abunde suo est.
Hic satagebat opum coeli dum uiueret, illas
Quisquis ades uotis huic animoq; faue.

ABBATIS SIGISMVNDI.

ABbas Tepla tuus fueram dum uita manebat
Olim, non debes dememinisse mei.
Octo hæc quadragintaq; rexi ego porro per annos,
Perditaq; asserui sedulitate bona.
Atq; Sigismundi benefacta legendo uidebis
Annales, erat hoc nomen in orbe mihi.
Si bene grata uoles fieri, loca sancta piorum
Exposces multa sedulitate mihi.

VOLPHGANGVS CANTOR DE SE.

INcaute seruum furem dum pertraho, serui
Furis ab infami uulnere triste cado.
Vitam cautus agas, exemplo hoc certus ubiq;
Semper & extremum posse uenire diem.

EX PERSONA MONACHAE.

Quę

QVæ sit siue boni in mundo spes siue salutis,
Vidi puella adhuc tenella, & desij
Lætiferis ideo mundi confidere rebus.
Æterna mecum in corde semper meo
Tractans, sic Christo me despondi atq; subiui
Clustra, atq; mundum sic reliqui, & omnia.

ALIVD

VIta breuis, tandem post pœna iugis, bona cœli
Mansura & nullo deperitura die.
Viuere me fecere deo & non uiuere mundo.
Mortis opus mundo est uiuere, uita deo.

TVMVLVS CVIVSDAM CIVIS MISNENSIS.

TEmpus suspectum & pietas urgebat ut issem
Visum te, uita frater amabilior.
Impia prædonis lætali uerbere euntem
Me inuasit dextra, ah uulneror & pereo.
Cui cordi est pietas fraterna, precator amice, ut
Accumbam diuum Nectari & Ambrosiæ.

DE VITA CADVCA HOMINVM.

Decipi

DEcipimur uotis miseri, spe fallimur, omne
Nam fato genitum statque caditque suo.
Et semel & cunctis, & ineuitabilis una est
Aut celeri aut tardo fossa adeunda gradu.
Nec satis est secura ætas quæcunque, cuique
Vltima quæque dies esse potest homini.
Non moueant quenquam mundum mulcētia quędam,
Nescio uim taxi quam perimentis habent.
Inspiciat uentura & ineuitabilis illa
Extremi si quis ultima Iudicij,
Hic uerum hoc mecum prorsus sanctumque putabit,
Quod sequitur, relegat si modo quod sequitur:
Viue deo plebs sancta dei, cœlestia quære,
Vita hominum uapor est, gloria nostra cinis.

TVMVLVS D. GASPARIS PRAEDICATORIS.

HAc prædicator Gaspar post ultima rerum
Rupe tegor, de me non mihi plura licet,
Nam dotes proprias, alia id genus atque referre,
Esse Thrasonismum plurima turba putat.
Sit satis, hic uixi, domus & noua quod genuit si
Plura petes, dicet obuia fama tibi.

ALIVD

GAſpar lege creatus hac fuiſti
Vt tandem morereris, haud dolemus
Mortem, ſed nimis hoc dolemus, ante
Quod tempus moreris tuis cupitum
Tot uirtutibus, heu parum fuiſti,
Qui nunq̃ ſatis aut diu fuiſſes.

D. DOCTORIS IOANNIS ZIAK ADMINIſtratoris Pragen̄.

HOc administrator Ioannes Ziak ſua
Poſt fata conditus loco iacet, diu
Pragenſis Archipræſulis qui egit uices,
Peſſundatam hanc qui uerbere indigno domum
Dei decus ſenſim reduxit in ſuum uetus,
Vigilanter inſtaurans, & ingenti ſuo &
Studio & labore rurſus euehens, ſuo
Pro debito, ſummi & dei pro gloria.
Pro gloria impenſa deo, ſibi deus,
Pietate qui gaudet, rependat gratiam.

TVMVLVS BENESSII CRABICE A VVAYTMIL CANOnici Pragen̄.

Hac

HAc quondam sacra reuerendos inter in æde
Prælatos, multo cultus honore pater,
A Vuaytmil Crabice, in tellure Benessius ista
Sub lapide hoc tandem post sua fata iacet.
Qui quoniam patrum tumulos curauit, idipsum
Promeruit fieri iure bono ipse sibi.
Cui grata est pietas sibi reddat præmia Christus,
Laudabit factum uiuida posteritas.

IN TVMVLVM D. LEONIS CLARISS. BARONIS BOEMI, qui nuper obijt die xiiij. Iulij, Anno M. D. XXXV.

HIc iacet ille Leo, clarus pietate fideq;,
Legibus, eloquio, clarus & ingenio,
Quas dotes eius mirata est patria tota,
Quantum sublatas mente animoq; dolet.
Prætereo genus, & proauos, & stemmata auorum,
Coniunxit quorum laudibus ille suas.
Quis fuerit, quantusq; hic heros, lector amice,
Conscia tota eadem testis adest patria.
Hic iacet ad tumulum Spitingnei principis, apte,
Nam patriæ cultor magnus & ipse fuit.
Viuat sublatus super æthera spiritus ille,

Eius nobiscum fama superstes erit.

IN MORTEM ERASMI
VIRI INCOMPARABILIS.

QVā studia Erasmo humana & diuina fauebāt,
Vtraq; tam simul hūc nūc obijsse dolēt.
Et certe est doleant quur, quin multumq; diuq;,
Exuta ut raris & uiduata bonis.
Huic pietas debet quantum sacra religioq;
Qui quærit, numerum quærit arena tuum.
Prætereo quam nos linguæ candore latinæ
Ditarit, prisci & floribus eloquij.
Mumsimus, et genus id iam tandem multa facessunt,
Tristis abit, comes his, rustica barbaries.
Hic dicenda sibi dixit, scripsitq;, prophetæ hoc
Illum non terret: ue mihi quod tacui.
Mordaci uero nanq; ipsos atq; Monarchas,
Et summos etiam libere commonuit.
O deflenda graui gemitu profecto ruina hæc,
Vt multum secum de pietate trahens.
Viuat & in cœleste solum translatus, in ipso
Diuorum numero, templa superna colat.

ALIVD

Orbem

ORbem qui celebri fama repleuit Erasmus,
Et uera certe & uberiora fide,
Occubuit, rigida fatorum lege, tributa
En iam naturæ debita persoluit
Vt mortalis, at immortalia multa reliquit,
Testantur tantum quæ monumenta uirum.
Dotibus eximijs tantis tam prædítus hic uir
Extitit, ut fuerit gloria magna suis.
Sis huic terra leuis, decori tibi uixit Erasmus,
Primos ipse zophos inter habendus auos.

DOCTORIS STEPHANI TINENSIS PHYSICI TVMULUS.

HIs Stephanus zophiæ studio clariss. ille
Tayn Horsovv multũ quo se iactabat alũno
Conditur extremi tandem post fata laboris.
Artis erat medicæ doctor celeberrimus, atq;
Naturæ scrutator, quicquid & inclyta septem
Dogmata pertractant disquirens multa diuq;
Nosse laborabat, fœliciter atq; subinde
Pernouit, sed uires superare rapacis
Omnia non nouit mortis, sic legibus eius
Æternis tandem conuictus ab orbe recessit,
Ad superas cœli sedes, animasq; beatas.
Ista cadauer habet quam spectas urna sepultum.

REGINAE A VVRATISSOVV NOBILIS FOEMINAE tumulus.

HOc uere raras inter numeranda maritas
Iam regina putret nobilis in tumulo.
Prædita uirtutum tot dotibus, unde marito
Multum chara fuit, creditur atq; deo.
Dilecto affectu multo, una prole marito
Facto patre obijt, seu placet hinc abijt.
At propere nimium, ergo sui desyderium ingens
Liquit consorti præcipuumq; thori.
Sedes cum sanctis ut spiritus ille beatas
Incolat, orare o lector amice uelis.

TVMVLVS NOBILIS VIRI D. SMIL A Hodieiovv.

HOdiegius tumulo Smil clausus in isto,
Post uitæ recubat fila peracta suæ.
Omnibus est nobis quorsum præcessit eundum,
Cum sanctis habeat da deus hospitium.

NOBILIS ET STRENVVS MILES PROCOPIVS GLANS A PORZYCZY ſub tribus Polonorum Regibus bellorum ductor extitit prouidus, & perquam fortunatus. Ætate tandem iam prouecta, patriæ et amicorum deſyderio tractus, rediit ad Bohemiam ſummo cũ honore & gloria, a ſenatuq; Pragẽſi honeſte habitus, moritur atq; hic ſepelitur honorifice, Anno a redẽpto genere humano ſupra ſeſquimilleſimum decimoſeptimo vij. Decemb. Cuius animæ requiem æternam cum beatis precatus amice ſpectator, abi in pace et bene uiue, et Vale.

HIc Glans Procopius, poſt ultima fata quieſcit,
Ductor Mauortis rector & eximius.
Quo duce magnificentia & ampla potentia Regum
In bellis patuit, uiſaq; ſæpe fuit.
Magnus conſilio fuerat, geſtisq; manuq;,
Hoſti terribilis, ſpesq; ſalusq; ſuis.

TVMVL. FAGELLI.

Quiſquis hac tranſis, parumper ſubſiſte, uel dum hæc legas ſaltem.

FAgellum ſi nouiſti dum uiueret olim,
Contegit hæc caſſum lumine mater humus.

Quis

Quis fuerit ſcis, ſi nouiſti, ſin minus, ipſa
Quæ ſupereſt referet fama rogata tibi.
Verius & referet tandem poſt fata, quieſcit
Tum cum præſentum iam comes inuidia.

TVMVLVS PETRI PAROCHI.

QVod mortale habui exigua hac ſcrobe cōdit,
Immortale abijt rurſus eo uñ aderat (at q̃d
Quod ſi ſit fortaſſe aliquid remoretur ut illud,
Adiuta precibus lector amice pijs.
Quis ſim forte petas, Petrus dicebar, amator
Et parochus templi pauperis huius eram.

LIBER DISTICHORVM.

SIMON FAGELLVS VILLATICVS LAVrentio Dumeto S. D.

NE nihil Dumete charissime mearum habeas nugarum, Disticha mea collecta cõscriptaq; tibi transmitto, quæ tu fortasse nihili esse, ut quidem sunt, dices. Cæterum id si dixeris, quid feceris dispicito: siquidem tu unus fuisti, qui nugas aliquid esse meas dictitabas. Ego certe blattis, tineis piperiq; & pharmacis, & id genus aliis in breui usui esse futuras non dubito, quæ utiq; quia naturæ genus sunt, alere rubor esse non debet. Ciceronis hoc tibi arbitror non esse ignotum, conciliare sibi animos hominum proprium uirtuti esse. Ecce ego non hominum cogito solum, quinetiam irrationabilium, quo latius scilicet benignitatis meæ pomeria extendisse uidear. Perpendas itaq; tecum id uelim, & interim accipias benigne missa tibi, et si humana benignitas tibi cordi est, grata habe. Vale.

AD NVMINA SVA.

IEsu cum Maria genitrice auiaq; beatis,
Votis trina pijs numina adeste meis.

AD IMAGINEM.

Adrides gestis dulcissime nate parenti,
Nate parens matris, quis sciat hoc? genitrix.

AD DIVAM LVCIAM.

Diua mihi sponsi per amorem Lucia luce,
Debile conforta Lucia lucis opus.

AD TVMVLVM D. Benignę.

Vota Benigna meas exaudi uirgo precesq;,
Fusas ad tumulum diua uirago tuum.

AD ARMA D. DE ROSIS.

Quur clypeo albenti hæc rutilet rosa forte requiras?
Mente niuent proceres, relligione rubent.

AD PELSINAM.

Hostiles acies inimicaq; tela retundens
Pelsina, cresce uiris, relligione, fide.

AD EANDEM.

Excipe primitias lęto mea Pelsina uultu,
Quod superest in me, seruiet omne tibi.

AD MAGISTRVM IOANNEM ANDREAE.

Concitat ingentes temeraria lingua tumultus,

Consilio

Consilio prudens concita corda domat.

IN QVENDAM.

Perfidiæ, fraudes, animus seruilis, hebes mens,
Illa bonum faciunt si, bonus esse potes.

DE PRAETERITIS.

Pars obliuisci possit si præteritorum,
O quam si possem non meminisse uelim.

AD QVENDAM.

Magna uolunt uates magni, nos parua rogamus
Dona, satis nobis caseus unus erit.

IN AEDIBVS SCHOLAE.

Incolit has ædes cum Phoebo Corricidum grex,
Cum gnato procul hinc sis Erycina Venus.

ALIVD.

Est domus hæc Phoebo & ter ternis dedita Musis,
Casta decent Musas, mollis abito Venus.

IN CONCIONATOREM.

Heus tu qui scelus increpitas, oblite tuorum,
Quæso, te contra stant tua facta, tace.

AD NICOL. RADNICENSEM.

Quem modo Tersitem poteras iurare Simonem,
Hunc nisi rescribas feceris Harpocratem.

AD IMAGINEM.

Talis Voccus erat, talem se lætus agebat,
Dis, pulcher, fortis, eia quid inde? obijt.

IN FORTVNAM.

Verte rotam Fortuna tuam miserere iacentis
Tantisper, stabilis quam mihi facta dea es.

AD BARTHOL. TRNKA.

Ne te mors rapiat totum uiolenta uetabit
Ars, sic expressus dum morieris eris.

MITTENS POMA, PIra, nuces.

Mittit amica manus quod habet de paupere agello,
Parua quidem, sed sunt dona fauoris, ede.

IN EPVLONES.

Summa quibus uoti est uentrem Bacchoque ciboque
Distendi, uiuunt, uiuere si bibere est.

IACOBVS PISO.

Optima cum dicis Boemis Villatice nasci
Vina iugis, erras, si bona sunt, satis est.

VILLATICVS.

Optima cum desint nobis, mediocria uina
Dicimus optima nos, dicimus & bibimus.

AD BENEDICTVM PAROchum Trencinensem.

In nos signa bonæ mentis Benedicte tuæ sunt
Cognita, signa patet per sua uerus amor.

IN AEDIBVS SVIS.

Sunt duo Simones, ne hic forte errore traharis

Hospes

Hoſpes, Fagelli tecta domumq; uides

AD PICETINVM.

Virtutis ſolidæ teſtem cognoſcere certum
Si cupias, nullus certior inuidia eſt.

AD IMAGINEM VIRGInis Matris.

Inſidioſa Stygis ſi uis te territat ulla,
Huc fuge, ſub tanta uirgine tutus eris.

AD MAGIST. SIMONEM Auſticum.

Quo uiles abigas muſcas, faſtidia menſæ,
Iſthoc a nobis Auſtice munus habe.

AD DOCTOREM IOANNEM Ziak.

Offendunt ſimulata bonos homineſq; deosq;
Quantum delectat candida ſimplicitas.

AD TABVLAM TRIVM Regum.

Quid faciũt nummi? quid poſſunt dona? quid aurũ?
Contrectet cupide quam puer illa, uide.

IN PRAEDICATOREM conniuentem.

Qui non dente petit canis & latratibus urget
Hoſtes, iure poteſt non malus eſſe lupis.

AD TABELLAS AMATORIAS niuibus obuolutas.

Quis locus insidijs erit ah iam tutus amoris?
Frigore concreto si latet asper amor.

IN FILIAM GALLINAE.

Hem genuit bellam cicur hæc gallina pipinnam.
Huic quis gallus erit? forte priapus erit.

DE LVTHERO.

Multa Luther scribit uera, uanissima multa,
Vera sed, ut uanis posset inesse fides.

IOANNES COCHLAEVS.

Illa mihi foelix uisa est Villatice uilla,
Quæ celebrata tuum nomen in astra uehit.

AD EVNDEM SIMON Villaticus.

Dulces iudicio crebro falluntur amici,
Errat quod sæpe & hallucinatur amor.

DE INVIDIA INIMICA bonis.

Est uetus & uerum constans notumq; cuiq;,
Inuidia semper non caruisse bonos.

BENEDICTIO MENSAE.

Nostris apposita hæc mensis potumq; ciboscq;
Clementer benedic sanctificaq; deus.

ALIA.

Sanctificata tua Regum Rex maxime dextra,
Hæc nobis præstent sumpta uigoris opem.

GRATIAE.

Qui nos pauisti potuq; ciboq; perennis
Gratia pro donis sit deus alme tuis.

ALIAE.

Alme tibi genitor pro donis largiter istis
Maxima sit semper gratia lausq; datis.

AD AEDES LEONIS.

Tutam hāc esse domum certum est custode Leone,
Excubat ad cuius nocte dieq; fores.

AD PICTVRAM.

Durum diuelli a nato taliq; pioq;
Quod fuerit matri, credibile ex animo est.

ALIVD.

Discessum hunc tristem tam, quam fuit ipse parenti
Charus, sit cuiq; certa fuisse fides.

AD ICONAM REGIS Ludouici.

Hæc facies Regis Ludouici habitusq; bis octo
Annos cum uitæ iam numerasset erat.

AD ICONAM SVAM.

Sexaginta duos natus Villaticus annos,
Firmus adhuc sano corpore talis eram.

AD MAGISTRVM THOMAM Matheolum Canonicum Pragensem.

Rara auis in terris Phœnix, at rarior ipsa
Iustus, qui solum quærat ametq; deum.

Ad

AD DOCTOREM ISIDORUM
a Hostun.

Errat quisquis inulta putat commissa malorum,
Verax non fallit sermo potensq; dei.

AD IOANNEM GLANDINUM
Sarmatam.

Miraris casus hominum Regnumq; potentis
Fortunæ, ah nescis nos Iouis esse iocum.

AD VITUM CHOL-
sineñ.

Doridis ut quur Vite recusarim esse maritus
Vis dicam, malo quam suus esse meus.

AD AEMILIANUM LAMBAR-
dum Adolescentu-
lum.

Æmilianus habet uineta tot amplaq; rura,
Vt nummos qui fit non habeat: puer est.

AD AMICUM.

Conserua fidum quisquis sortitus amicum es,
Est custos fortis, præsidiumq; bonum.

SENTENTIA BEATI
Hieronymi.

Carnis blanda libido, gulæ cessetq; uoluptas,
Et cessabit opum perniciosa sitis.

AD SYLUANUM.

Vermis & ignis erit perpes Syluane malorum

Poena

Pœna, malis tantis pone miselle modum.

DE CAROLO CAESARE ET Ferdinando Rege, fratribus.

Gentibus occiduis fratres dominantur & Eois,
Eois unus, alter at occiduus.

AD FILIVM.

Fac patrem matremq; tuos uenereris amesq;
Fili, id nanq; iubet præcipit atq; deus.

AD DAVVM.

Consuetudo molestum grande & lenit & aufert,
Faxis consuescas, desinet esse graue.

AD MAGIST. THOMAM Matheolum.

Libertas hominum quæ est si quæ uiuere cogunt,
Hæc eadem cogunt ferrea fata mori.

AD VITVM CHOLSInensem.

Credis in occulto hæc fieri, erras Vite, patebunt,
Et terras rumor transilit & maria.

AD BATTVM.

Batte uelim faxis, breue sit quod turpiter audes,
Porro mature desinere est sapere.

ERASMI ROTERODAMI ET Lutheri collatio.

Vt monet atq; docet sancte & prudenter Erasmus,
Sic furit insanus sus lutulenta Luther.

AD CHRISTOPHORVM
Amberginum.

Cum fratrem uocitas me, crebro cogito mecum
Quam rara est fratrum gratia Christophore.

IN SERVVM EXCVSANTEM
nephas admissum.

Hoc nolens ais admisi, hoc nolens patieris,
Esse patet uerum hoc, hoc tamen in dubio est.

DE VIGORE LEGVM.

Certa salus lex cui dominatur dixerat urbi
Quem dixere deum gens studiosa Plato.

AD CONTEMPLANTEM
corpora cœlestia.

Mira uides, sunt mira sed argumenta potentis
Hæc sunt artificis magna fidesq; sui.

AD DVMETVM.

Mobile tempus abit, mora nulla fugacibus annis,
Illius ergo tibi sedula sit ratio.

IN OPVS EXACTE PERACTVM.

Hæc benefacta sequi laus, quin & gloria debet,
Quæso quid infœlix hic agis inuidia?

AD IOANNEM SAR-
matam.

Aurum Lidius atq; lapis probat improbat atq;,
Haud secus hoc homines et probat & reprobat.

AD EVNDEM.

Nil non præstandum numero tanto esse putaui,
Nescibam hunc uacui tam capitis populum.

AD VENCESLAVM Krzimiczky.

Quur uano macrescis desine quæso dolore,
Cui nasci siquidem contigit atq; mori.

AD MATHEOLVM

Has tantum nugas rides placuisse Roberto,
Nescis uerorum has sæpe tenere uicem.

IN SENECTVTEM.

Morte magis dicta est uere metuenda senectus,
Morbis nam & uarijs tot comitata uenit.

DE QVADAM SENtentia.

Mira mihi hæc sententia iudiciumq; uidetur,
Nam quæ debuerant displicuisse, placent.

AD IVDICEM quendam.

Forsitan hæc intelligit is qui etiam intima cordis
Inspicit, est coram quo actio habenda tibi.

AD CONGERRONES.

Si stultorum infinitum numerum esse putauit
Rex sapiens, nostrum forsan hic est aliquis.

AD DVMETVM.

Perſtringi a ſapiente uelis, quam laude beari
Stulti, cuius habet laus nihil eximij.

DE AVRI EFFECTV.

Omnia conſtanter quidam auro peruia credunt,
Atq; etiam portas triſtis Auerne tuas.

DE SENECTVTE optata.

Exoptata mihi uotis tot cana ſenectus
Iam grauis eſt, multis quin graue coniugiū.

AD GLORIAM.

Gloria cos iuuenum, quas Scyllas atq; Charybdes
Tu non fidenti corde ſubire facis?

AD EMPTVRIENTEM NOBIlitatis titulum.

Ante tibi titulos ratio uirtutis habenda eſt
Empturiens, quid ſit, diſpice, Nobilitas.

DE DETRACTORE ET detractionum auſcultatore.

Detractor lingua, auſcultator ſenſibus aurium,
Peccant ex ęquo, nec minus hic alio.

AD EXHORTATIONEM REGIAE Maieſtatis de unitate fidei, factam anno &c.
M. D. viij.

Regia

Regia maiestas ut credant postulat omnes,
Omnes id malint at numerare uelit.

AD IOANNEM A Glande.

Inter dicta & facta homines discrimina ponunt,
Dicere quin aliud quam facere esse uolunt.

AD PAVLVM POLLIONEM.

Garritu si sufficeret solo esse & haberi
Prudentem, prudens, sic mihi lauda foret.

AD EVNDEM.

Stulti certa puta argumenta, ubi plus sibi quam sit
De se quis credit posseq; magna putat.

AD DOCTOREM ISIDORVM a Hostun.

Aduersam quereris sortem, mens digna deo sit,
Feceris hoc, sors sit quam fuerat melior.

AB HAVSTV AD Bacchum.

Dulce fluis bone Bacche sub intima, te quis
Non colit, ille sitim non nisi pellat aquis.

AD PVERVM SVVM.

Lingua bono rectore carens male sæpe loquetur,
Sæpius hoc tecum fac meditere puer.

IN SVVM LIBRVM.

Dic precium tanto referet quis Phœbe labori?
Deucalion, uel si non placet hic, Phaëton.

AD SVAS
MVSAS.

SCombrorum & piperis boni cuculli
Fietis propere meæ Camœnæ,
Blattas aut tineas minus timete
Exęquat modulis Marona uates,
Quiſquis, nec moritura qui reponit,
Cuius docta ſibi Thalia poſcit
Ætatem Priamiꝗ Neſtoriſꝗ,
Hos caſus metuat: piper crocumꝗ
Vos & ſalgama ueſtiendo credo ut
Et laudem capiatis & fauorem.

LIPSIAE

M. D. XXXVIII.